



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Pars III. de Instrumentis assequendæ Virtutis, pertinentibus ad
voluntatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

nulla vnquam debent obliuione deleri, nulla ingrati-
tudinis significatione extenuati. Quia vetè di-
gnus est, beneficium, & tantum beneficium, amitte-
re, qui ingratus existens oculis & affectum in cœ-
lum non tollit, & Deum virtutis donatorem esse
non clamat, & illum tanquam in se beneficentissi-
mum extollere & prædicare non curat. Hoc etiam
desiderium agendi Deo gratias, eundem Prophetam
solicabat, quando alio loco dicebat: Domine in
voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.]
Hanc enim esse gratiarum actionem, Basilus doc-
cet, sic scribens: Vt decor animæ accedat, & ef-
ficaciter perfectina eorum, quæ necessaria sunt, po-
tentia, diuina est opus gratia. Vt igitur suprâ dixit:
Quoniam vita in voluntate eius: sic nunc Deum in
reddendis gratiis exultat, dicens: In voluntate
tua præstitisti decori meo virtutem. Pulcher qui-
dem eram secundum naturam, debilis autem factus
ob peccatum, per insidias serpentis admissum, perij.
Pulchritudini ergo meæ, quam ex te in prima crea-
tione accepi, addidisti virtutem eorum, quæ me ad-
decent, effectiuam. Pulchra namque est omnis

Psal. 29.
8.
Ensi. ad
eundem
Psal.

A anima, quæ in symmetria propriarum virtutum con-
spicitur.] Sic ille. Gratia itaque Deo propter vir-
tutem habitam agenda sunt, ne eam amittere per-
mittamur. Omni enim habenti dabitur, & abun-
dabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet,
auferetur ab eo.] Ingratus est, qui non habet, & à
quo auferetur, quod habet. Nam si interrogas:
Quomodo non habet, si habet? Respondebit tibi
Augustinus: Non habens habet, qui nescit
vnde habet. Tollit enim Deus rem suam, & re-
manet illi iniquitas sua.] Ita gratiarum actione &
virtutem iam adeptam seruamus, & nouis augmen-
tis à Domino acceptis promouemus. Qui ergo vir-
tutes conatur agnoscere, & earum, actionis gra-
tia, indagare naturas; qui curat, eas in magno pre-
tio habere, & vt res pretiosas à Domino postulare;
qui non obliuiscitur pro quocumque profectu gra-
tias agere, is, ad virtutes adipsendas, ex par-
te intellectus instrumenta parauit,
quas, si sequentia adiciat, à
Domino certè re-
cipiet.

Luca 19.
16.

Aug. ser.
3. de
sanct.
To. 10.



P A R S T E R T I A

De Instrumentis assequendæ Virtutis, pertinentibus
ad Voluntatem.

POST tria instrumenta, inuuantia intellectum ad acquirendam Virtutem, se-
quuntur ea, quæ voluntatem seu affectum ad eundem finem corroborant;
quæ, quia propius ad actiones virtutum accedunt, maiori sollicitudine sunt
executioni mandanda. Virtus quippe non tam in intellectu, quam in affectu
est, non solum quia præcipue virtutes sunt partis effectiua perfectiones, sed etiam quia
ipse virtutes, ad intellectum pertinentes, in sua bonitate & merito, maxime ab affectu
dependent. Qui si rectus non sit, & in Deum pura intentione directus, necesse est, vt
actiones intellectualium virtutum aut perdat, aut suscipiat. Certum est enim, Prudentie
actum, ad preposterum finem per voluntatem ordinatum; destrui, & ex prudentia
in astutiam verti; actum verò fidei, vt confessionem eius minus sincera intentione
prolatam magna ex parte suscipiari. Auidè igitur, & libenter excipienda sunt instru-
menta voluntatis, quibus in virtutum acquisitione desudat, quæ sub quinario nume-
ro comprehendimus. Sunt autem illa, Diffidentia sui, Desiderium virtutis, Intentio
in finem virtutis dirigenda, robor animi in difficultatibus vincendis, & particularis
cura in virtutis contrariis eliminandis. Et hæc quinque instrumenta tertius iste tracta-
tus explicabit.

Quartum Instrumentum ad assequen-
dam Virtutem, Diffidentia sui.

CAPVT I.

POST QUAM Iustus cognitioni virtutis
studuit, eamque pretiosissimam esse con-
spexit; opera voluntatis ab humilitate in-

C cipiatur, & in cognitione proprii nihili, atque in
diffidentia sui ipsius sollicitè se & diligenter exer-
ceat. Quia virtus Christiana (vt diximus) est do-
num Dei, & opus diuinæ gratiæ, non partus cor-
ruptæ naturæ, & ideo non à solis naturæ vi-
tibus sperandum est, sed in Dei speciali auxilio,
quod nobis præsto erit, omnimodis confiden-
dum. Est autem diffidentia sui, affectus ille submil-
lus, quo quis suam imbecillitatem callens, & ad

malum pronitatem intelligens, profus ineptum ad virtutem suis viribus acquirendam se sentit, & in hoc labore vtilissimo non de seipso, sed de diuina bonitate eum adiuuante praesumit. Scitenim scriptum esse: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum:] & cum se hominem videat, & carnem mollem & corruptioni obnoxiam aspiciat, stultum putat & maledictione dignum, sicut re vera est, à Deo per superbiam recedere, & in semetipso considerare. Legit etiam in sancto Dauide: Nolite credere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.] Se autem, licet principem, id est, iustum & Deo gratum, esse coniectet, tamen cum etiam filium Adæ peccatoris agnoscat, cuius spiritus post transgressionem, in vilia & terrena contendit, & saepe cogitationes ac conatus nostros frustratos reliquit, indignum existimat, fragilitati principis terreni, & non summae potentiae, & fortunam insuperabili caelestis regis inniti. E contra verò scit, ab eodem Propheta fuisse cantatum: Bonum est credere in Domino, quam credere in homine: bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.] Et iterum: Beati omnes, qui confidunt in eo.] Ob idque in Deo fiduciam collocans, & à se depellens, bonum malo praefert, & beatitudinem, in Domino sperantibus promissam, sibi aliquando venturam arbitratur. Sanè qui confidunt in illo, intelligent veritatem:] ita autem intelligent, vt eam ab ipso Domino dandam intelligant, & vt pauperes, ab eo qui diues est in misericordia, ipsam supplici corde deposcant. Et cum certum sit, quia, Qui confidit in illo, non minorabitur,] & quod [non est confusio confidentibus in te, Domine:] si confundi, ac minui nolumus, non est cur ab alio, quam à te, o Deus meus, praestantissimum virtutis donum expectemus; & ad confusionem nostram nobismetipsis fidamus.*

Sed videamus, quibus vir iustus hanc sibi diffidentiam salutarem parabit. Commune quidem omnium miseriarum remedium, nempe oratio, non est praetermittendum, qua scilicet quis à Domino petat illuminari oculos cordis sui, vt propriam imbecillitatem, & nunquam bene cognitam impotentiam ad bonum per se, & sine diuino auxilio operandum, peruideat. Hæc enim cognitio propriae imbecillitatis, & hæc diffidentia sui, donum etiam Dei est, & magnum donum, quia fundamentum aliorum donorum, quod debet, sicut reliqua dona, à Domino postulari. Donum hoc non nouerunt antiqui Philosophi, ignorarunt & multi ex Israelitico populo, & non pauci quoque nunc in lege gratiæ hanc gratiam ignorant. Quia verò eam ignorant, non petunt; quia non petunt, non obtinent; quia non obtinent, sibi ipsis fidentes bonum quaerunt: quia sibi fidentes quaerunt bonum, profus sine fructu laborant. Philosophos illos antiquos in hac parte fugillat Paulus: Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis.] Non, inquam, animaduertere voluerunt, Deum esse sapientiae eorum & reliquorum donorum auctorem, sibi que per inanem & falsam cogitationem tribuerunt, quod non à se, sed à Deo largitore con-

ceperant. Et quid inde sequutum est? Et obsecratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. In obscuritatem mentisque caliginem lapsi, & ex sapientibus in stultos conuersi, scientiam à Deo acceptam, & non illi per gratiarum actionem attributam perdidit, & ad vitia impurissima ac nefandissima declinarunt. Israelitas verò idem Apostolus increpat, dicens: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.] Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Id est, vt ibidem inquit Anselmus: Quia non sperauit in Deum, non illam petiuit à Deo, non credidit in eum, qui iustificat impium. Sed quasi iustitiam per semetipsum operans, non in se credens operari Deum, ideo non est iustitiam assequutus. Quam sine Deo, gratia sua auxiliante, nemo assequi potest, quia ipse est, qui operatur in nobis, & velle, & peticere, pro bona voluntate. Eos tandem, qui nunc quadam occulta superbia sibi metipsis adeptionem virtutis arrogant, quam sine fructu laborent, & post multos labores quam miserabiliter cadant, docet pulchre Ambrosius, in hunc modum scribens: Multi enim seruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditates, crucifixerunt carnem suam cum desideriis & concupiscentiis, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt, non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuerent terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam sublime propositum, qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiolis, & tepidis, neque inertibus, & incultis, sed magis quibusdam animis sedulis, & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam: & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariotes erant meritis, tanto eos aptiores suis inuenit insidiis. In Paradiso namque Ecclesiæ constitutos, & virtutum deliciis abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriae voluntatis manum praesumptionis extenderent.] Hæc ille. Qui & duas in his verbis causas, istorum casus, adiungit, amorem vanæ laudis & confidentiam sui. Non enim minus obest virtuti, hominem in se ipso confidere, quam ex bonis actionibus gloriam captare. Immo multo magis: nam amor laudis ex vitio inanis gloriae, confidentia verò sui ex elatione procedit, quæ radix est inanis gloriae; difficilius autem est, radicem euellere, quam ramum abscindere; & laboriosius, intimam causam mali, quam effectum extra se ostentantem euertere. Ne igitur ita sine fructu laboremus, orandus est Dominus, vt nos apud nos ipsos statuat, & propriam nostram fragilitatem detegat, ne mens nostra, superbia & elatione cæca, in semetipsa confidat.

Hanc etiam diffidentiam generat veritas ipsa, qua scilicet cognoscimus, virtutem esse donum Dei, ad quam obtinendam non sufficit hominis desudantis industria. Verum est quidem, necessarium esse nostrum conatum, vt virtutem habeamus, quæ non desidiis & oscitantibus, sed sollicitis & laborantibus est promissa. At solus ipse sine diuina gratia & ope non sufficit, quæ in omnibus

sed

Ierem.

17.5.

Ps. 145.

3.4.

Ps. 117.

8.

Ps. 2.

13.

Sapient. 3.

9.

Ecol. 32.

28.

Daniel

3.40.

Rom. 1.

21.

Rom. 9.

31.

Anselm.

Ambros.

sed præcipue in negotio virtutis prima est, & conatum hominis excitat, & promouet, & vsque ad opatum finem perducit. Quid enim proderit conatus pueri, in lubrico positi, ad onus supra vires ferendum, nisi à potentiore iuuetur, à quo etiam, ne cadat, teneatur? Ita nihil proficiet labor & conatus hominis, quem omnia deorsum trahunt, & in peccatum impellunt, nisi à Deo, potentiore, sua gratia liberetur, & in concepto desiderio iuuetur. Hoc autem ab homine probe cognosci, & per humilitatem in affectum transfundi, ad eum est necessarium; ut Callianus ex sententia probatissimorum seniorum dicat, neminem posse ad virtutem peruenire, si hanc salutarem scientiam ignorauerit: Aiunt, inquit, non posse ad purum quempiam carnalibus vitis emundari, nisi vniuersum laborem suum atque conatum, ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi Dei miseratione & adiutorio comprehendere, non tam tradentis institutione, quam affectu atque virtute, & experimentis propriis eruditus agnoscat. Ad capefenda namque tam magnifica, tamque præcella puritatis & integritatis præmia, quantumlibet ieiuniorum, vigiliarum, lectionis, & solitudinis, ac remotiois labor fuerit impensus, condignus esse non poterit, qui hæc industria suæ merito vel laboris obtineat. Nunquam enim diuinum manus labor proprius humanæ compenfabat industria, nisi desiderati diuina fuerit miseratione concessum. Hæc ille. Qui (ut manifestum est) non de ieiunia quadam & speculatrice cognitione loquitur, quam omnes, ne fidem amittamus, habere tenemur; sed de ea notitia, quæ in affectum transit, & hanc gratiæ necessitatem, & propriam hominis ineptitudinem, quasi per experientiam sentit. Hic affectus proprium nihilum, quasi manu contrectans, est diffidentia sui, quem habens, valde dispositus est ad virtutem capefendam. Quia sicut Deus superbis resistit, elatoque contemnit, ita humilium votis annuit, & in suo adiutorio confidentes iuuat. Fitque quoddam mirabile, ut homo suæ imbecillitatis nouione, non pusillanimitas ad id quod cupit, sed potens fiat. Nam & in rebus humanis oppositum euenit, ut propriæ impotentia cognitio hominem deprimat, & omnem eius conatum impediatur: at in rebus cælestibus hæc sancta depressio nos eleuat, & mira quadam ratione corroborat. Et qui sibi ipsi non fidit, hac diffidentia fit ad obtinendam virtutem potens & perfectione sublimis. Impleturque verbum Domini: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Nam adiutorium eius, hominem suæ imbecillitatis consciunt, potentem facit, & seipsum deicientem extollit. Seupponit Dominus adiutorium in potente, in eo scilicet, qui humilitate, & verissima suæ fragilitatis confessione fit potens, ut diuinum adiutorium recipiat, & electorum exaltationem participet. Superbus enim & arrogans, sibi ipsi confidens, quasi non est potens Dei auxilium recipere, quia se ipso plenus, non habet vbi dona cælestia recondat; nec dignus est iuari, qui superbia turgidus, putat se auxilio non indigere. Hæc itaque veritas, non in solo intellectu custodienda est, sed ad gustum & affectum diffundenda, quæ gustata faciat nos ad Dominum pro auxilio clamare, & proprium nihilum confiteri. Dicamusque: Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Quia vires nostræ insufficientes sunt ad tantum opus, non iam dicam peragendum, verum & inchoandum: Manda ò Domine virtuti tuæ, id est, potentia tuæ & brachio tuo, ut hoc opus inchoet, & iube etiam eidem potentia tuæ, ut quod coeperis, & operatus fueris,

A ipsa confirmet. Sic splendor Domini Dei nostri super nos, qui ad bonum opus, & ad virtutem quaerendam, intellectum erudiat, & opera manuum nostrarum dirige super nos, dum voluntatem confortas, & opus manuum nostrarum dirige, dum potentiam exequentem, & in studiosa opera incumbentem adiuuas. Vel, ut vult Augustinus; splendor tuus Domine nos illustret, ut quid faciendum sit cognoscamus; & opera manuum nostrarum dirige super nos, ut non ea pro rerum terrenarum mercede faciamus: & opus manuum nostrarum dirige, ut scilicet omnia vnum sint opus, & in omnibus vnam tui dilectionem & amorem quaeramus. Hoc est enim opus Dei, ut credamus in eum, quem milit ille] ea nempe fide, quæ per dilectionem operatur.

B Et tunc à templo tuo in Ierusalem, nempe in Ecclesia sancta, tibi in gratiarum actionem] offerent] electi & [teges munera.] Iam vides quomodo veritas ad diffidentiam inuitet, quæ ita humanam industriam poscit, ut diuinam gratiam in hoc opere potiorum agnoscat, idcircoque os ad loquendum aperit, affectum ad desiderandum & clamandum inflammat.

Aspiciamus ergo virtutes, ut dona Dei supra nos posita, quæ manus nostræ, nisi ab ipso euehamur, apprehendere & comparare non possunt. Aspiciamus eas, ut reconditam Christi doctrinam, quam nemo nisi illo docente & suggerente percipiet. Quid enim mihi ad veram virtutem prodeunt Philosophorum verba, qui aut sanctam virtutem tantum habuerunt, aut si veram, eam in genere vitæ moralis veram & satis exilem, non verò meritoriam, & ad felicitatem æternam conducibilem, comparant? Nam si propter mundanum honorem virtutibus studebant, ut multi eorum fecerunt, quis non statim intelligat, futiles & vmbrales fuisse eorum virtutes, & à veritate virtutis quàm alienissimas, quas præposteri finis malitia vitiabat: Si verò honestate virtutis illecti, virtutes propter honestatem in eis elucetem quaerebant, sicut pauculos eorum fecisse coniectura est: quis etiam non videat, has virtutes, quas sine aliquo superno auxilio, actioni, quam eliciebant, commensurato, habere non poterant, in genere quidem moralis Philosophiæ veras fuisse, sed quia ad Deum non referebantur, nec per

D Christum & in Christo, qui principium est gratiæ & meriti, operabantur, nihil proficiat ad vitam æternam promerendam adiuuasse? Ac proinde merito patres eas in omni euentu falsas virtutes & superbas appellat, quas non propria vilitatis cognitio, & Dei gratia Christo subnixæ proferebat, sed falsa quadam propriæ facultatis existimatio, & natura auxiliij sibi dati ad operandum ignara procreabat. De his dictum est in Salomone: Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Quæ enim maior afflictio, & qui labor inutilior, quàm per totam vitam philosophicè viuere, & ad quandam vmbra virtutis conari, per istum verò laborem in vrbem, id est, in cælestem patriam non peruenire? Ad quam illi profectò nunquam perueniunt, quia nunquam in atrium eius, nempe in Ecclesiam, per quam solam ad patriam patet accessus, ingressi sunt. Lege Platonem, inquit Hieronymus, eundem locum exponens: Aristotelis euolue veritas: Zenonem & Carneadem diligentius intrare: & probabis, verum esse quod dicitur: Labor stultorum affliget eos: veritatem illi quidem omnino studio quaerunt: sed quia non habuerunt ducem, & præuium itineris, & humanis sensibus rati

Psal. 89.
17.

Aug. ib.

Ioan. 6.

29.

Psal. 67.

30.

Cassian.
lib. 12. de
spiritu
superbia.
cap. 13.Psal. 88.
20.Psal. 67.
29.Ecc. 10.
15.

Hier. ib.

*Psal. 72.
20.*

*Aug. 19.
de ciuit.
c. 25.*

*Bern. ser.
22. in
Cant.*

*Psal. 24.
17.*

*Psal. 30.
8.*

*Psal. 118.
61.*

sunt se comprehendere posse sapientiam, ad ciuitatem minime peruenerunt. De qua in Psalmo dicitur: Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum dissipabis.] Hæc ille. Audi etiam quid Augustinus de his virtutibus dicat, etiamsi honestas in illis queratur: Licet à quibusdam tunc vera & honesta putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata ac superba sunt, & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt. Sicut enim non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit viuere: sic non est ab homine, sed super hominē, quod hominē facit beatè viuere.] Non ergo est vera virtus, quæ ad meritū proficit sine gratia Dei, nō est vera virtus sine Christi sequela, ad quā cum homo impotēs sit, debet ita seipsum ad itinera virtutū animare, vt nō in seipso, sed in Christo eum adiuuante confidat, sine cuius auxilio nec primum initium virtutis attinget: Quare Bernardus optimè huius mundi sapientes irridet, dicens: Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem, Christum, ignoratis? Vbinam, quælo, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo, qui eius doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt: soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consequuti sunt: soli temperantes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. In casum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde sperandas putat, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina, seminarium prudentiæ; cuius misericordia, opus iustitiæ; cuius vita, speculum temperantiæ; cuius mors, insigne est fortitudinis.] Hæc ille.

Hic itaque sit primus conatus voluntatis, quo pro virtute laborat, magnam de se ipsa diffidentiam concipere, & in Domino certissimam spem acquiritendæ virtutis & boni exitus, constituere. Cognoscat homo, se mille impedimentis esse cinctum, mille funibus & catenis compeditum, quominus possit iter virtutis arripere. Annon impedimenta sunt, corporis necessitates, quæ magnam partem temporis sibi vendicant, & dum homo ad cœlestia mente pergit, in terram redire, immò luto immergi compellunt? Ita sanè: vnde Dauid clamat ad Dominum: Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.] Et vt ostendat hæc necessitatum impedimenta à Domino solo posse tolli, alio loco ei hoc opus ascribit: Quoniam respexisti, inquit, humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.] An non sunt impedimenta, passionis, quæ nos vel nolentes ad sensibilia trahunt, & multis quotidie imperfectionibus & peccatis inficiunt? Solus hoc dubitabit, qui filius Adæ non est, qui passiones non habet, qui sibi fomitem & proclitatem ad malum dominari non sentit. Si autem nullus est homo, sicut nullus est, qui primum illum hominem, Deo rebellem, genitorem non habeat, nullus etiam erit, qui in se ipso hanc difficultatem conservandæ animæ puritatis non aduertat. Isti sunt funes, istæ catenæ, de quibus sanctus quoque Propheta conquerebatur: Nam funes, inquit, peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.] Si enim funium nomine non tam insidias ab iniquis paratas, quàm propensiones ad malum, ex primis illis peccatoribus, scilicet ex protoparentibus relictas, intelligamus, quis ambigat, magnam laudem esse, Deique beneficio partam, legem Dei non obliuiscim, quem tales funes & catenæ constringunt? Quoties nos legem diuinam præteriuimus, dum his

A funibus ad malum trahebamur: Quoties dum conabamur dissolui, reperiebamus nos indissolubilibi nodo ligatos, & maiori difficultate constrictos? De his vinculis videtur loquutus Ambrosius, cum ait: Isti sunt funes, quibus trahuntur peccata, vt fune longo, & vt loro iugi vitulæ iniquitatis. Vitula enim indomita plus se iactat, & excutit, cum tenetur, nec acquiescit imperio, nec stringitur vinculo, sed magis, cum loro retrahitur, exasperatur. Itaque nec coacta se subiicit: nec tamen libera vinculorum est. Sicut ergo trahit vitula lorum iugi, quæ etsi non tenetur è proximo, tenetur tamen, nec se explicat, & absoluit: ita trahit vnus quisque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectusque iudicio, & nescit quod non sit excutus, sed magis, vt illa vitula, & ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Hi sunt ergo funes delictorum nostrorum, quibus inuolumur, & ligamur, quemadmodum sunt & vincula delictorum. Et ideo Saluator, qui habet in potestate peccatorum dimittere, dicit iis qui sunt in vinculis: Exite. Vtinam & mihi dicat: Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum, solæ funes erroris tui, quibus circumdatus & ligatus es.] Hæc ille. Opus est ergo Dei, quod ab affectibus expediatur, & os virtutibus moderemur. Sæpe enim volui humilitatem, exempli gratia, se ceteri, & in superbiam incidi: sæpe desideravi, & in mediis desideris, nescio quomodo, oppositum eius quod optaueram, feci: sæpe proposui, & apud me statui, me ipsum conculcare, & mundi gloriam contemnere, & quasi nihil statuerim, me super capita aliorum posui, & post auram popularem cucurri. Tam ambulabam humilitatis vias, & statim sediali quodam currebam, & dum minus sperandum esset, luto me ambitionis immergi: dum leuabar, allisus sum, dum ascendebam, corruui, & cum me magis mundare volebam, magis fœdus apparui. Post multos à conuersione mea annos nihil profeci, & laborem meum fructu vacuum vidi, & aliquod vel paruum augmentum virtutis concupitæ non sensi. Infelix ergo homo, quando tandem meum nihilum videbo? quando meam fragilitatem agnoscam? quando de me ipso diffidam? Tu ergo Domine, sis spes mea, tu fiducia mea, vt tandem per te consequar, quod in me confidens, & baculo arundineo innitens, obtinere non potui.

Quintum instrumentum, ingens desiderium Virtutis.

CAPVT II.

S I in assequendis virtutibus ita de nobis diffideremus, vt in nullo confideremus, extingueretur virtutis desiderium, quia impossibilis iudicaretur eius adeptio, & nemo rem desiderat, quam sibi inaccessible iudicat. Sed quoniam quo verius de nostris viribus desperamus, eo perfectius de Domini benignitate confidimus: hinc prouenit, vt humilis hæc & sancta diffidentia, desiderium virtutis accendat, & non desiderium ipsius, sed omnem torporem, & omnem desperationem extinguat. Post diffidentiam ergo, qua vir iustus de sua fragilitate desperat, magnum quoddam virtutis, quam quærit, desiderium comparare studeat, quod eum, & ad superandas difficultates, in virtutis itinere reperas, reddat alacrem, & ad eam accipiendam capacem. Desideria enim nos capaces virtutis efficere, & ad eam obtinendam disponere, manifestum est, cum

dicat

*Amb. ad
eundem
Psal. ser.
8.*

Psal. 80.
11. dicat Dominus: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti; dilata os tuum, & implebo illud.] Tantares est, os nostrum implere, vt eam sperantem necesse sit diuinæ potentie meminisse. Recordare, ô homo, ait Dominus, quia ego te de durissima seruitute Aegyptiorum eduxi, de obscuritate antiquarum tuarum iniquitatum extraxi, & in hac luce, quam modò expetis, respirare feci. Si hæc tam eximia, tam facultatem tuam excedentia præstiti, etiam potens ero, os tuum dilatum implere. Aperi igitur illud, vt alimentis suauissimis impleam. Quod autem, & quale est hoc os, quod, vt impleamur & fatiemur, aperire debemus? Ex qualitate apertionis, & alimenti percipiendi, id facile colligimus. Dilata os tuum, inquit Augustinus, confitendo, amando; & adimplebo illud, quoniam apud me est fons vitæ. Non os corporis, sed os cordis confessione, siue laude & amore aperitur: non os corporis, sed cordis vita impletur, ex fonte vitæ manante; nam ori corporis cibos mortuos ingerimus, & si quid viuens comedendum est, prius occidimus, vt comedamus. Os verò cordis non est aliud, quam desiderium cordis, quare istud aperendum est, vt vita, scilicet virtute, qua spiritaliter viuimus, qua ad vitam æternam tendimus, impleamur. Est os nobis intus, ait alio loco idem sanctus pater Augustinus, ibi rogamus. Et, si hospitium, vel domum Deo præparauimus, ibi loquimur, ibi exaudimur. Et Ambrosius affectum voluntatis, os animæ vocat, quo validè ad Dominum clamamus, & spiritum gratiæ eius attrahimus. Sicut ergo cum os corporis aperimus, illud capax facimus alimenti suscipiendi, & quo magis aperimus, necessarii cibi plus accipimus: ita cum desiderium, & affectum magis ac magis ad virtutem dilatamus, & vehementius eam concupiscimus, citius à Domino, & plenius, ac perfectius obtinemus. Scriptum est enim: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.] Qui autem sunt pauperes, nisi humiles, & sibi ipsis minime præsertentes? Sed horum Dominus desiderium exaudit, cum eos bonis concupitis replet.

Virtus profectò, est gemma pretiosa, vel potius thesaurus incomparabilis, quem à Domino non accipimus, nisi prius paratum sit, vbi illud recondamus. Nam de timentibus Dominum dictum est: Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.] Parant illi corda sua, dum ea bonorum Domini faciunt capacia: & sanctificant animas suas, dum vitiiis, quæ eas replebant, & ingressum virtutum impediabant, ac peccatis euacuant. Tunc verò animæ vitiiis euacuantur, cum desideria secularia ac noxia reiciunt; & tunc corda boni sunt capacia, cum in bonis desideriiis exercentur. Ergo bonorum ac virtutum desideria sunt, quibus timentes Dominum corda sua præparant, vt opes ac thesauros virtutis recondant. Hæc bona desideria sunt animarum sinus, in quibus virtutes concupitas recipiunt. Iob suum sinum habebat, qui dicebat: Et in sinu meo abscondi verba oris eius.] In sinu autem verba Domini abscondere, est, sanctis desideriiis mandata eius implere. Quæ desideria, faciente Domino, opus subsequitur, cum non solum corde & desiderio, sed etiam in opere lex diuina custoditur: Quod iustus sæpe in sua conuersatione experitur, de quo dictum est à Davide: In lege Domini voluntas eius:] vtique desiderium eius, & concupiscentia eius, & quia quæ cupimus, facile cogitamus. Et in lege eius meditabitur die ac nocte.] Quid autem inde sequitur? Certè: Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decur-

Iob. 23.
12. *Psal. 1.2.*
Ibid. n. 3.

A sus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.] Vide quomodo fructus desiderium sequatur, & quomodo opus nostrum sinum repleat, & qua ratione sinus desiderij nos boni desiderari capaces efficiat. Pulchrè Augustinus hæc omnia docet, qui sic ait: Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides: sed de desiderando, capax efficietis, vt cum venerit, quod videas, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quam magnū est quod dabitur, extendis sinum vel facci, vel vtris, vel alicuius rei, nosti quantum missurus es; & si vides, quia angustus est sinus, extendendo, facis capaciorem: sic Deus differendo, extendit desiderium, desiderando, extendit animum, extendendo, facit capaciorem. Desideremus ergo fratres, quia implendi sumus. Videte Paulum extendentem sinum, vt possit capere quod venturum est. Ait: Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Fratres ego me non arbitror apprehendisse.] Quid ergo agis in hac vita, si nondum apprehendisti? Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea, quæ antè sum extensus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis.] Extensus se dixit: & secundum intentionem sequi se dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hæc est vita nostra, vt desiderando exerceamur.] Sic ille. Iam liquet, quomodo nos desideria capaces virtutis efficiant, quia sunt tanquam sinus, in quorum latitudine virtus absconditur. Et qui non habet sinum, non mirum, si virtutem nunquam acquirat, quam acquisitam sine sinu, id est, sine desiderio, non magni reputaret, nec ad securitatem eius, ne scilicet à furibus & dæmonibus rapiatur, haberet vbi recondere. Mensuram bonam, & confertam, ait Saluator, dabunt in sinum vestrum:] videlicet ostendens eam mercedem æternam nobis dandam esse, quæ omnino nostrum desiderium expleat. Si autem desiderium mercedem præmij antecedit, merita etiam virtutum antecedit, necesse est, quia cum hæc sint velut illius præmij semina, in eadem terra debet seminari, in eodem sinu recondi. Quare si gloria est surrectura in terra sitiente, id est, in corde concupiscente, & quod desiderio illius fruendæ ardeat, oportet vt in eodem corde virtus affurgat. Animaduerte, cui terræ Dominus aquam suæ gratiæ ad fructificandum promittat. Effundam, inquit, aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super seminum tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.] Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas.] Vis aquas gratiarum, vt semina spiritualis doctrinæ iacta fructificent? Sitim habe. Vis spiritum & benedictionem Domini, qua arbores satæ crescant, & promoueantur? Desiderium concipe: Vis instar salicem, quæ multum crescunt, germinare? Magnam & ardentem virtutis concupiscentiam ostende. Quoniam in terra cænosa, & luto desideriorum secularium plena, statuit Dominus guttas sui roris non spargere, & benedictionem ad fructus virtutis ferendos haud quaquam concedere. Si quis sitit, ait, veniat ad me, & bibat.] Si non sitis, non venies, & si ad fontem vitæ non accesseris, & ex magno desiderio tuam sitim non aperueris, & aquam gratiæ non postulaueris, vtique ex fonte non bibes. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.] Sitientes clamant: clamantes liberantur. Si virtutem non sitis, nunquam tuam tribulationem & miseriam senties: si eam non sentias, nunquam ex corde

Aug. in
1. Ioan.
tra. 4. ad
63.

Philipp. 3.
12. 13.

Ibid. n. 14.

Luc. 6.
38.

Isa. 44. 3.

Ioan. 7.
37.

Psal. 106.
5. 6.

clamabis, sed quasi subfannando postulabis: si non clamaueris, nunquam a vitis dissolueris: si ab eis solutus non fueris, nec virtutem acquires. Ergo desiderium capacitatem affert, & aditum aperit, vt virtutem possis acquirere.

Non solum autem desiderium virtutis nos capaces eius facit, verum etiam difficilia quæque occurrentia, & adeptioni eius obliuentia, vincit, & ea facile vitari posse decernit. Et dum anima quasi præ desiderio virtutis deficit, robustiores vires ad eam insequendam, & sibi vendicandam sentit. Vnde Ambrosius ait: Ista defectio, id est, istud magnum desiderium, quo in nobis præ expectationis impatientia deficiamus, imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Quæ, rogo, non audent desideria impura luxuriosorum, quas molestias non sustinent, quæ non subeunt pericula, vt pulchritudine cupita potiuntur: Sed non sunt, nec debent esse minora desideria iustorum, quibus ad omnem virtutem & sanctitatem inhiant. Quare ergo non credemus, ea ad molestias, ad pericula, & ad labores, pro virtute sustinendos, animare? Præsertim quod ad illa turpia sola impellit caro; ad ista pulchra spiritus gratiæ potentior mouet: ab illis conscientia & timor gehennæ retrahit; ab istis solus impotens sibilus aduersarij deterrit. Athalia ex desiderio regnandi interfecit filios alienos: Abraham verò ex desiderio obediendi promptissima voluntate ad filium suum vniuentum & dilectissimum, & à quo posteritatem expectabat, occidendum exiuit. Desiderium filiorum ad hoc Rachelem adducit, vt quasi muliebrem verecundiam deponat, & marito dicat: Damih i liberos, alioquin moriar. Desiderium remissionis peccatorum ita Magdalenam possidet, vt omni muliebris timore deposito, non apud maritum, sed in conspectu Pharisæi superbi hominis & multorum discumbentium, magnam confusionem & erubescenciam sustineat. Auari, & raptores multa ex desiderio diuitiarum sunt aggressi pericula, & multas, vt diuites essent, difficultates superarunt. At innumerabiles iusti, ex perfectionis desiderio maximas opes & amplissimas dignitates abiecerunt. Potentius igitur est virtutum quam vitiorum desiderium, & licet istud multa difficilia audeat, at illud ad res sublimiores & difficiliore aggrediendas instigat. Optimè dixit Chrysostomus: Quando quis fauciatu charitatis desiderio, nihil difficile spectat: sed id, quod fuerit plenum periculis & multa miseria, leuiter fert, ad vnum hoc videns, quomodo suo potiatur voto & desiderio. Et alio loco idem Beatus Pater pulchrè ait: Nihil est quod non superet amor cum desiderio. Cum autem & Dei sit desiderium, omnium est altissimum: & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas: non infirmitas, non mors, neque aliud quid huiusmodi graue videbitur talem amorem possidentis: sed omnia decidens, ad cælum volabit, & illic morantibus nihil se geret indignius, aliud intuens nihil, non cælum, non terram, non mare, sed ad vnam tantum pulchritudinem intentus illius gloriæ: & nec cum præsentis vitæ tristitia humiliabitur, nec extollere, & inflare suaui poterunt, & voluptatem habentia. Hæc ille. Ex quibus constat, magnam esse desiderij vim, præsertim si sit boni ad ipsum bonum consequendum. Quia nihil inuenimus, quod ab eius adeptione nos retrahit, si omnia impedimenta, faciente id boni desiderio, reputamus facilia. Meritoque desiderium comparauimus oleo, quod ingum putrefacit, ne oneret: & robori mentis, quod pondus difficultatis alleniet.

Tanta ergo cum sit bonorum desideriorum, tum

A vilitas, tum efficacitas, necesse est vt ad virtutem consequendam virtutis desiderij vtamur. Cupiamus eam, vt nobis sui copiam faciat, & ne tanquam ab indignis auferat. Equissima illa est, quæ nemini, saltem sine merito desiderij, se offert: & suauissima, quæ à se desiderantibus non discedit. Virtus colenda est, inquit Lactantius, non imago virtutis; & colenda est non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solenni, sed voluntate sola atque proposito. Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo & tenere? Quod vnusquisque simulacrum cepit velle, consequitur. O magna virtutis largitas, quæ solos nolentes auerfat, volentibus autem eam se vltro donat, & rem omnium creaturarum pretiosissimam, non auro, non argento, sed sola voluntate mercamur! Quia velle, & concupiscere virtutem, aliqua virtus est, & dum magis roboratur virtutis concupiscentia, magis ipsa virtus roboratur & crescit. Quis non solo vitæ temporalis aut salutis desiderio vitam & salutem emeret? Quis non sola opum ac dignitatum concupiscentia opes & dignitates compararet? Sed virtus, o homo, desiderij emittit, & quia hoc ipsum quod est desiderare virtutem, pars est virtutis, desiderij possidetur. Non in his tua desideria occupes, quæ adepta contristant, & amplexata te amplectentem inquietant. Huiusmodi sunt omnia visibilia, quæ vilia cum sint, & ad solum vsum concessa, non sunt anxie desideranda, sed ad solam necessitatem, & vt media ad virtutem assumenda. In his verò, quæ fatiant, quæ delectant, quæ implent, tua desideria constitues. Hæc autem sunt veræ virtutes & solidæ, quia cum illarum ministerio Deus ad nos veniat, corda nostra, aliquid magnum, quo impleantur, sitientia, tranquillat. De vera quippe sapientia, qua omnis virtus continetur, sapiens ait: Generositatem illius glorificat, id est, clarissimam & præstantissimam esse manifestat, contubernium habens Dei: quod scilicet cum Deo iniuit societatem, vt in eodem corde viri iusti virtus & Deus pariter commorentur. Isti duo hospites, virtus & Deus, quid mirum, si hospitium nostræ mentis impleant, & nullam in eo tristitiam, aut inquietudinem manere permittant? Sanè quidem id experiebatur idem sapiens, qui postea ait: Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit alloquutio cogitationis & rædij mei. Idem & tu dicas, o homo: Hanc decreui orationibus, gemitibus, & desiderijs promereri, quoniam gratiæ donis me ditabit, & sua præsentia cogitationem meam illuminabit, & omne tedium ac molestiam summouebit. Et si quidem desideria ad fatietatem tendunt, & pro quiete mentis admittuntur, solam virtutem, mentisque puritatem, & Dei in te habitationem concupisce; qua habita, nequam tristaberis, sed finem tuorum desideriorum consequeris. Vt enim dixit expertus Augustinus: Inter temporalia & æterna hoc interest, quod temporale plus diligitur, antequam habeatur: vilescit autem, cum aduenit, non enim fatiat animam, cui verax & certa sedes, æternitas: æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam desideratum, quia nunquam de illo homo tantum æstimare potuit, quantum postea adipiscens inuenit. Virtus verò cum æternis est computanda, quam nobiscum hinc emigrantes deferemus. Hanc igitur, quæ nunquam vilescet, sed in maiori pretio habebitur, cupiamus.

Nec quocumque virtutis desiderio debemus esse contenti, sed illo, quod magnum & efficax sit, & nos pro virtute anxios reddat, & ad eam inquirendam

assidue

Ambrosius in
Psalm. 118.
ser.

4. Reg. 11.
1.
Gen. 22.
3.

Gen. 30.
1.

Chrysostomus
15. in Genes.
mes.

Idem h. 64. ad
Populum Antiochenum.

Lactantius
lib. 1. de
numeratione
ser. 220.
post med.

Sap. 8. 3.

Ibid. 10. 9.

Aug. 1.
de doctrina
Christiana
c. 10. 3.

affidue sollicitet. Nam res magnæ eo ipso quod tepidè desiderantur, contemnuntur: quoniam illo desidio-
so & tepido desiderio dicimus non esse maiores re-
bus vilissimis, quæ simili desiderio solent à nobis ap-
peti. E contra verò, cum virtutem cupimus vehem-
enter, profitemur eam esse dignissimam, quæ in
mente, ad Deum possidendum creata, sine vlla eius-
dem mentis iniuria tantum sui desiderium inimitat.
Virtus per se præstantissima est; ergo ardentissimo de-
siderio est appetenda, quia res magnæ & eximia, non-
nisi post magnos labores nobis & post magna desi-
deria proveniunt. Et si ipsa ad nos sine hoc præ-
vio desiderio veniret, rubore suffunderemur, & ve-
nientem timidè & dolenter exciperemus, eo quod
ad sponsam tam pulchram, & tam sublimem exci-
piendam tepido solum nos desiderio parauimus. Si
enim nobilis sponsa, cum primum ad sui sponsi aedes
accedit, eum, scientem quidem suum aduentum, &
communi ac fordida veste circumdatum, & in aliis oc-
cupatum inueniret, putaret se fuisse contemptam, &
suam sortem deploraret, quod tam ingrato viro fue-
rit copulata coniugio: cur non virtus nos sui contem-
ptos appellet, si ad nos veniens, tepido desiderio,
quasi fordida veste, cooperitos, & in amore rerum vi-
lissimarum occupatos inueniat? At fat scio, quia sponsa
prudentissima nunquam se periculo tantæ irrisionis
exponet, nec imparatos inueniet, quia ad imparatos
& tepidos nunquam venit, sed donec auidè deside-
retur, in suo se domicilio continebit. Quare tepidè
virtutem desiderate, est nolle virtutem, & eo ipso
quod præ desiderio magno in eius non amorem ac-
cendimur, ipsius possessione & suavissimo amplexu
frustramur. Et ea quæ modesta est & iusta, quæ
amatric nostra est, sed æquitatis seruatrix, ex mode-
stia oculis etiam tepidorum se offert, & ex iustitia se
abscondit: ex amore venire gestit, & ex æquitate di-
scedit. Esto tamen, quod ipsa nostræ stultitiæ mise-
reretur, & quasi amore & miseratione victa, vellet
nobis immerentibus, & non auidè cupientibus, sui
copiam facere, à Deo æquissimo iudice detineretur,
& ne ad nostras fores accederet, prohiberetur, ne
sponsam tam puram & nobilem indigni & fordidi
homunciones susciperent. Sciebat hoc sapiens, qui
ut hanc veram sapientiam impetraret, ait: Adij Do-
minum, & deprecatus sum illum ex totis præcordijs
meis. Qui si tantum ex parte cordis, id est, tepido
desiderio postularer, & se rerum terrenarum amo-
re, virtute indignum faceret, nunquam eam obtine-
ret. Et ipse Dominus inquit per os Ieremiæ: Erunt
mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia re-
uertentur ad me in toto corde suo. Quid est reuerti
ad Dominum ex toto corde, nisi toto desiderio &
conatu virtutem & rectitudinem sequi, & à peccatis
separari? Quare qui tepidè, aut potius sibi malum
deserit, qui negligenter virtutem inquit, nunquam
ita eam comparabit, ut in populo Dei, & inter iustos
& sanctos numerari mereatur. Si queritis, qua-
rite, ait Dominus per Isaiam, id est, si iustitiam qua-
ritis, eam non segniter, non oscitanter querite. Si
me desideratis, non tepidè & negligenter concupi-
scite. Si me queritis, ut exponit Hieronymus, stu-
diosius querite, ut me in iustitia ac virtute inuenia-
tis. Lex enim dicit: Cum quaeris ibi Dominum
Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde qua-
sieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Virtus ergo, in
qua, & per quam Deus quaeritur, ardentissimis desi-
deriis querenda est, quæ ipsa nullo modo vacua esse
patietur, sed statim post hæc desideria ad nos intra-
bit, lacrymas absterget, cor exhilarabit, & nos in suo-
rum amatorum dignitate constituet. Tunc profes-

A cō nullo modo (sicut res visibiles) in nostra aestima-
tione vilescet, sed apertè videbimus dignam esse, quæ
ardentissimis desideriis appetatur, & magnis labori-
bus comparetur.

Sed quomodo hæc desideria succedemus? Pri-
mò, humili & ardenti supplicatione. Ut enim inquit
Ambrosius, non est potestatis nostræ desiderium, sed
gratiæ Dei. Quare ab illo petendum est, in eius est
potestate, illud postulanti bus erogare. Secundò
consideratione earum perfectionum, quæ supra sunt
de virtute tractata. Nam sicut hæc magnam virtutis
aestimationem ingerunt; ita etiam desiderium accen-
dunt. Tertio, desideriorum inutilium compres-
sione. Mens quippe nostra, quæ semper aliquid di-
ligit, aliquid concupiscit, & sine amore & desiderio

B esse non potest, statim diligit, & cupit caelestia, dum
non sinitur amare & desiderare terrena. Quarto
demum desideriorum exercitatione, ut scilicet ad de-
siderandum te adigas, & ad multiplicandos actus de-
sideriorum impellas. Si aliquem splendidis indu-
mentis fulgentem videas, dic, Modestia, est mea ve-
litis præclarissima, cuius comparatione hæc corpora-
lia indumenta sunt fordida: o si illius pulchritudine
mentem corpusque circumdarem! Si pretiosas men-
sas intuearis & lauta conuiuia, dic, meum conuiuium
& meus cibus est abstinentia, o si illam abundè gus-
tarem, quam mihi ista fercula corporalia vilescerent!
Si amicium ad dignitatem aut Prælationem euectum
audias, dic intra teipsum: mea dignitas & mea præ-
latio, est humilitas; o si hanc haberem, qua in

C conspectu Dei & hominum, plus quam Prælati, & Ec-
clesiæ proceres insulati fulgerem. Si candidum li-
lum aspicias, dic, o lilium pulcherrimum, castitas,
quando te non iam in ore, sed in corde & in actione
gestabo, & tui suavissimi odore complebor! Si auri
memineris, dicito, o aurum pretiosissimum, charitas,
quando me ditabis, quando me Christo perfecte co-
pularis, quando ab omnibus terrenis rebus omnino
distingues? Ex omnibus occasionem desiderandi vir-
tutem capta, & te ad hæc desideria proferenda &
multiplicanda sollicita. Sic enim ille de quo scri-
ptum est: Desiderium animæ eius tribuisti ei; & vo-
luntate laborum eius non fraudasti eum: tibi vir-
tutem concupitam dabit, & post hanc vitam illi de-
bitam mercedem abundè concedet.

Sextum Instrumentum, Intentio actualis operandi ex fine Virtutis.

CAPVT. III.

IN ad ipsas Virtutis actiones propius ac-
cedimus, in quibus primo loco Intentio
voluntatis dirigenda est, & finis aptus vir-
tutis actioni præfigendus, ut actio habi-
tum virtutis in mente vel efficiat, si virtus acquisita
fuerit, vel si infusa, eius augmentum mereatur. Ex
qua intentione omnis noster profectus dependet,
quia qualem finem nobis propoluerimus, tales omni-
no post actiones, euademus: si malum, mali: si bonum,
boni: si verò optimum & perfectum, euademus per-
fecti. Intentio etiam ipsam actionem mutat, nam ex
fine naturam accipit, & talis erit, qualem finem se-
pūmque respexerit. Tribus ergo regulis, quod ad
nostrum institutum spectat, omnis usus huius instru-
menti completur.

Prima est: Ne in virtutum actionibus aliquem
præposterum finem, ut nostrum commodum, no-

Ambr. in
Psal. 118.
ser.

Psal. 20.

Sap. 8. 21.

Ierem.
24. 7.

Isa. 21.
12.

Hieron.
lib. 7. in
Isa. ad
eundem
locum.
Dent. 4.
29.

stram gloriam apud homines, nostræ propriæ voluntatis expletionem, vel aliqua similia vilia & abiecta, queramus. Si enim in id oculus nostræ intentionis intendat, non studiosi, sed vitiosi, non humiles aut obediens, sed avari, aut inanis gloriæ cupidi nostris laboribus efficiemur, dicente Domino: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. [Oculus noster, intentio nostra, oculus nequam, intentio mala est: quæ malitia sua, ac tenebris suis (nam nequitia est caligo & tenebre) omne actionum illam sequentium corpus obuoluet. Et alio loco ait: Malus homo de malo thesauro profert malum.] Per malum thesaurum, præposteram intentionem denotat, ex qua malum opus prodit, & ipsa hominem habentem eam, malum, id est, vitiosum, & corruptis moribus obnoxium ostendit. Unde Chrysostomus, postquam locutus est de recta intentione in eleemolyna habenda, hæc addit: Id, quod non solum in eleemolyna, sed in vnoquoque bono opere spirituali attendendum est, vt nihil ad hominum præconia respicientes, faciamus, alioquin nulla nobis utilitas erit, siue ieiunamus, siue precamur, siue miseremur, siue quoduis aliud facimus, nisi propter illum solum fiant, qui nouit & abscondita, & quæ in profundo mentis sunt recondita. Nam si ab illo præmia expectas, cuius gratia ab alio, qui natura tibi cognatus est, laudari & admirari vis? Et quid inquam laudari? Sæpe is non laudat, sed & inuidet. Sunt enim multi ita male affecti, vt & ea, quæ bene à nobis fiunt, in contrarium interpretentur. Et Richardus Victorinus ex praua intentione operantes, suorum filiorum necatores appellat: Sic ille ait: Quid enim iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per intentionis deprauationem necare? Et quale (quæso) erit, si liberorum nostrorum interfectores conscientia propria nos esse conuincit? Alij in ipso proposito ex mala intentione opera sua corrumpunt: alij post exercitia virtutum ad oblationem vanæ laudis à pristina intentione inanescunt. Quid illi nisi abortiuos fetus faciunt? isti quasi iam natos, seu etiam adultos occidunt: Nonne melius est non gignere, quam abortiuum facere: satiusque vtilius prolem non parere, quam vel dormiendo opprimere, vel ex consilio necare? Nonne melius est, vt vadam absque liberis, quam immolare filios meos, & filias meas dæmonis? Nonne multo felicitior est sterilis, & quæ non parit, quam filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & denatores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum? Ac tandem Hieronymus, vt innumeros alios omittamus, inquit: Vide quantum bonum sit charitatis. Si ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab hominibus reliquias honorari: si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus: & substantiam nostram vsque ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidia magis tormenta sunt, quam corona victoriæ. [Sic illi. Nos autem ex illis colligamus, studioso virtutis non esse bona opera ex sinistra intentione faciendâ; quia sic & suum laborem perdet, & opus suum, quod vt filium dilectissimum amare debuerat, merito & vita priuabit, & semetipsum non dignum præmio, sed pœna, constituet. Quid enim inutilius eo opere, post cuius laborem, non aliud quam auram transuentem demerimus? Quid magis mortuum illa actione, quæ in terram sterilem, nempe in cor prauum cadês, nec gratiæ cælestis humore rigatur, nec influxu bonæ intentionis, ad fructum faciendum fouetur. Quid pœna dignius illa oblatione, quæ vt dæmoni & ina-

Matt. 6. 23.

Luc. 6. 45.

Chrys. 8. in Gen.

Richard. de statu interior. hominis. c. 7.

Hieron. lib. 3. in epist. ad Galat. ad c. 5.

nitati immoletur, ex Domini altari, cui erat offerenda, surripitur?

Consideremus itaque à Domino cuncta nostra opera inspicere, & vniuersas etiam occultissimas intentiones nostras videri, vt tales illæ sint, quæ ob rectitudinem suam possint eius calculo ac attentione probari. Oculi autem eius, inquit Iob, sunt in viis illius, id est, in intentionibus peccatoris. Aliquando enim via in scripturis sanctis, nostram intentionem & finem, in quem curtimus, & actiones destinauimus, signat. Et ita accipi videtur in illis verbis Davidis: Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet. [Est ac si dicat: Ostende Domino quod velis, quid intendas, non vt videat, qui etiam, te abscondente, manifeste videt, sed vt tuum affectum & desiderium accendas, & ipse pia vota complebit. Nihil sanè efficacius dici potest ad intentionem dirigendam, quam quòd Dominus eam intuetur, vt secundum bonitatem aut nequitiam eius, præmia decernat aut pœnam. Et vt videas quam pœna peccator ex praua intrectione sustineat, per oculos, cum Gregorio, nõ oculos Domini, sed oculos ipsius peccatoris intellige. Vias suas, inquit, peccator intuetur, quia sola cogitare, sola cernere nititur, quæ sibi ad commodum temporale suffragentur. Hinc etenim Paulus dicit: Omnes, quæ sua sunt, quarunt, non quæ Iesu Christi. Via namque elati, superbia: via raptoris, auaritia; via est lubrici, concupiscentia carnalis. In viis ergo suis iniquus quisque oculos deprimit, qui solis viuis vt per hæc animo satisfaciunt, intendit.] Re vera hæc magna pœna est, quòd homo ad Deum creatus oculos in vana & inutilia deliciat. Verè magna pœna, quòd ex suo labore non præmij fructum emergere, sed increpationem conscientia, sed confusionem, sed cinerem vanitatis spargi videat. Placuit illi non sine labore arborem bonæ actionis, sed statim arefcit, quia non in solo fructifero charitatis, sed in terra sterili, & arida vanitatis radices mittit. Est ista actio instar iunci, de quo inquit Iob: Humectus videtur, antequam veniat sol: & in ortu suo germen eius egredietur. [Scirpus enim siue iuncus, ante solis ortum humidus apparet, eo autem ex oriente siccatur: Sic bonum opus, ex vitiosa intentione factum, in nocte huius vitæ, in qua intentiones hominum latent, meriti humorem præfert, adueniente verò sole iustitiæ, quam sit indignum mercede, patefcet. Aliæ herbæ prius nascuntur, postea femina ad suæ speciei cõseruationem proferunt: contra scirpus, nam cum flore nascitur, vt in aduentu solis simul cum flore siccetur. Sic est studiosum opus, ad captandam hominum laudem destinatum, quod cum flore exoritur, quia cum inani gloria perficitur, vt postea nullam mercedem recipiat. Enitatur ergo vir iustus, omnem à suis bonis operibus præposteram intentionem abiciere, tum vt præmia semper mansura suo tempore metat, tum vt per bona opera semper magis ac magis proficiat, & veras virtutes acquirat. Imitetur innocentem Iob, qui de se ait: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè. [Sol fulgens, bonum est opus aliis manifestatum: & luna clarè incedens, studiosa actio, quam laudabilis fama subsequitur. Tunc itaque iustus, vt colligitur ex Gregorio, solem fulgentem non videt, cum ad præsumptionis gratiam non attendit; & lunam clarè incedentem non aspicit, cum à desiderio placendi Deo, amor famæ & humanæ gloriæ non diuertit. Sic similis illi, de quo in Psalmo dictum est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram;] qui scilicet ex mutuo prohibitum lucrum non accipit. Omnis

Iob. 24. 23.

Psal. 36. 5.

Greg. 17. mor. c. 5.

1. Cor. 12. 14.

Iob. 8. 16.

Iob. 31. 26.

Greg. 22. mor. c. 5.

Psal. 14. 5.

enim,

Cassian. col. 14. 6. 17.

Matth. 25. 27.

Arist. 2. Ethic. c. 4.

enim, inquit Cassianus, qui eloquia Dei (& idem est de quouis alio studioso labore) humana laudis amore dispensat; pecuniam suam erogat ad vsum, non solum nulla pro hoc premia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecunias Domini maluit profligare, vt ex eis temporalem consequeretur ipse mercedem, non vt Dominus, sicut scriptum est, veniens, quod suum est, reciperet cum vlura.] Sic ille.

Secunda regula sit: Mens nostra in actione studiosa, non tantum bonum quemlibet finem, sed proprium, ac germanum illius virtutis, quam cupimus, finem respiciat. Id quippe omnino necessarium esse ad virtutem assequendam, docuit manifeste Philosophus, dicens: quod vt opus sit alicuius virtutis, vt verbi gratia, iustitiae, necesse est vt fiat a sciente, siue cognoscente quid faciat, & propter ipsam honestatem iustitiae, alioqui faciet iustum, sed non iuste. Et quidem si istud non requireretur, quilibet in materia alicuius virtutis operans, quemcumque finem respiceret, illam virtutem compararet, quod non ita esse, ipsa experientia compertum est. Est quippe aliquis, qui facilem se & alacrem sentit, ad mortem pro fide sustinendam, & difficilem, ac morosum, immo & plane pusillanimum ad mortem pro alia causa tolerandam. In isto facile est animaduertere, fidem vigere, fortitudinem vero languere; quae in occasione defendendae veritatis fide roborata vincit, extra hanc autem occasionem timori cedit, & vi aduersitatis oppressa, succumbit. Oportet ergo, si virtutes diligimus, & earum decore circundari cupimus, vt actiones ipsarum elicientes, in proprium finem cuiusque respiciamus. Sicut enim via in ciuitatem tendens, nequaquam nos in hortum aut viridarium, longe ab illa positum, ducet: sed via ciuitatis in urbem, & via horti in hortum nos dirigit: ita finis vnus virtutis in seipsam nos inferet, non in aliam, quam non cogitauimus, destinabit. Facile autem est, ex definitionibus virtutum, in secunda huius libri tractatione positae, finem proprium, ac rationem intimam, & formalem (vt scholastici vocant) cuiusque virtutis agnoscere, & propter illam actu operantes, virtute formemur, & casti, aut mansueti, aut obediens, iuxta nostrum desiderium reddamur. Si vis a Deo fidei augmentum suscipere, crede: id est, rebus fidei ea expressa ratione, quia Deus illas renouauit, & Ecclesia vt reuelatas proponit, assensum praebere: Si vis spei incrementum obtinere, spera bona aeterna, ex meritis Christi tibi a Deo aliquando donanda. Si vis charitatis gradus accipere, dilige Deum propter seipsum, & proximum propter Deum. Cupis prudentiam addiscere? Consulta de medijs ad tuam finem necessarijs, & quae sint aptiora diuidica, & ea executioni mandate constitue; eo fine, vt in omnibus quod est rationi consonum ac medium, attingas. Cupis iustitiam? Opera eius exequere, eo fine, vt vnicuique, quod suum est, tribuas. Desideras fortitudinem? Aduersa sustenta, eo fine, vt honestatem, quae in tolerantia consistit aduersitatum, habeas. Desideras temperantiam? In cibo, & potu, & reliquis huiusmodi necessarijs admittite, vt moderationem ab hac virtute praescripam custodias. Sancta paupertatis auidus superflua resecet; necessaria more pauperis habeat; si defuerit, sufferat, eo fine, vt honestatis paupertatis sit particeps. Castitatis amator, carnis illecebras fugiat, eo fine, vt corporis & mentis puritatem teneat. Obedientiae sitibundus praecipis obediatur, eo fine, vt Prelato se submittat. Hic modus operandi, aut hac intentio, de qua nunc agimus, expressè cuique actui virtutis applicet-

A ta, illum facit virtutis actum, non quoad materiam tantum (sicut qui temperatè manducaret, ne saluti corporis officiat, aliter manducaturus, si damnum salutis non timeret) sed quoad substantiam & naturam. Et actus sic exerciti, virtutes generant, aut a Deo obtinent, & homo breui tempore se magnopere immutat, & ex statu viciosi ad statum studiosi traductum sentit. Gregorius sanè Nazianzenus, hanc intentionem necessariam esse ad virtutes assequendas, egregiè declarat in hunc modum: Quisquis enim rei cuiusquam gratia virtuti studet, is profecto ne utiquam firmas in virtute radices egit. Simul enim atque res ea effluerit, recti quoque studium deponet: quemadmodum qui quaestus causa nauigat, nisi lucri occasio adsit, nauigare desistet. Atqui bonum ipsum propter se colit, & amplectitur, quoniam rem fixam & stabilem amat, certam quoque & constantem erga illum animi alacritatem habet; adeo vt diuinum aliquid sentiens, hic quoque Dei verbis vti possit: Ego autem idem sum, & non mutator.] Hæc ille. Quibus verbis illi constantia in bono & stabilitatem attribuit, qui bonum propter se colit. Ille autem bonum propter se colit, qui virtutem propter ipsius honestatem operatur; vnde iste solus stabilitatem in bono habet: Stabilitas autem hæc, aut est habitus ipsè virtutis, aut aliquid ab ipso habitu inseparabile, quo ductum rationis constantiter sequimur; bonoque adhaeremus.

Sed quia non Philosophos morales, immo potius viros spirituales instruimus; tertia regula adhibenda est: vt scilicet non tantum propter honestatem virtutis, verum etiam propter amorem Dei, vt ei placeamus, ipsiusque voluntatem impleamus, virtutem operemur. Pro quo sciendum est, duos esse affectus generales, timorè & amorem, ex quibus solent iusti in actiones virtutum incumbere. De his plurima inuenies apud Patres; nos pauca referemus. Dorotheus ex sententia Basilij sic ait: Si enim timore gehennae benefaciamus, in feruili statu sumus: si vt mercedem recipiamus, in mercenarijs; si bonum ipsius gratia, ad filiorum statum transimus. Filius enim non facit patris voluntatem ob timorem, neque vt recipiat mercedem ab illo, sed volens illi deferuire, volens ipsum honorare, volens ipsum omnibus obsequi, & morem gerere. Et Gregorius, explicans illud Iob: Pater eram pauperum.] Sic ait: Plerumque multi homines pauperibus largiuntur, non quia eisdem pauperes diligunt, sed quia si minimè tribuant, itam iudicij superni formidant: qui si Deum non meruerint, quae habent, dare nolissent. Et quidem in bono opere primus incipientium gradus est, vt qui adhuc proximum, sicut se, nescit diligere, iam tamen, incipiat iudicia superna formidare. Quia igitur aliud est, bonum opus ex praeepto, aliud verò etiam ex affectu facere; sanctus vir, vt mentem nobis suae operationis insinuet, dicat: Pater eram pauperum. Non enim patronum se, vel proximum, vel adiutorem, sed patrem fuisse testatur, quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiae veritè in affectum naturae, vt eos quasi filios careret per amorem, quibus quasi pater praerat per protectionem. Audiamus tandem tertium Patrem, nempe Bernardum, cuius hæc sunt verba: Quia per dextrum & sinistram aduersa solent atque prospera designari: videtur mihi hoc loco intelligi posse, laeam quidem veri comminationem supplicij, dexteram verò regni promissionem. Est autem cum mens nostra formidine poena seruiliter premitur: & tunc nequaquam sub capite, sed super caput laea esse dicenda est: nec potest sic affecta anima omnino dicere: Quia

Nazian. orat. in illos, qui cauedram afflaxe dicebant.

Dorothe. Doctr. 14.

Iob. 29. 16. Greg. 19 mor. c. 14.

Bern. ser. 51. in Cant.

læua

Cant. 8.
3.

Psal. 15.
20.

Cant. 8.
3.

Psal. 67.
15.

læua eius sub capite meo.] At verò si proficiens ex hoc spiritu seruitutis transferit in quendam spontanei obsequij digniorem affectum, quatenus videlicet præmiis potiùs pronocetur, quàm arctetur supplicis: magis autem, si amore boni ipsius agatur: tunc indubitanter dicere poterit, quia læua eius sub capite meo: quippe qui illum seruilem metum, qui in sinistra est, meliori atque excellentiori habitudine superarit animi, & dignis desideriis etiam ipsi appropriauerit dexteræ, in qua sunt omnes promissiones: dicente Propheta ad Dominum: Delectationes in dextera tua vsque in finem.] Vnde & certa spe concepta, cum fiducia loquitur: Et dextera eius amplexabitur me.] Hæc omnia Bernardus. Qui & postea clariùs hoc explicat, adducens illud: Si dormiatis inter medios clericos;] dicensque esse locum medium inter timorem, & securitatem, tanquam inter læuam & dexteram, in quo anima magna spe concepta ex charitate virtutum actiones operatur. Habemus ergo duos communes affectus, ex quibus possumus in opera virtutum prodire, nempe timorem & amorem, quorum ille imperfectior est, tanquam proprius seruorum, iste verò velut ad filios pertinet, multo perfectior.

Relinquamus nunc illum priorem, & ex isto secundo opera virtutum singularum præstare curemus. Ita nimirum, vt cum actus humilitatis occurrerit, deiciamus nosmetipsos, non tantum ob honestatem huius virtutis, & quia dignum est, nos vilissimos, & ingratißimos ab omnibus conculcati, & pessundari, sed etiam quia hanc deiectionem nostram Deo, cui impensè placere cupimus, gratam & acceptabilem cogitamus. Cum actus obedientiæ se offerret, obediamus prælato, eo quidem fine, vt maiori subdamur, non tamen solum ob illum, sed & ob alium altiorem, quia amatori nostro Deo id acceptum & gratum erit, cui super omnia placere cupimus: Cum occasio mititatis insisterit, iniuriam aut contumeliam sustineamus; non ob id tantum, quia honestum est, in medijs iniurijs cordis & mentis tranquillitatem seruare, sed quia Deo summè amabili placet, nos filium suum vniuersum imitari, & mansuetudinem custodire. Finis autem hic altior amoris Dei, priorem honestatis virtutis non soluit, sed implet: non destruit, sed mirum in modum intra propriam illius virtutis naturam perficit. Ad quod confitendum, & si nulla ratio suppeteret, ipsa sanè conscientie attestatio noscogeret. Videmus enim quotidie homines ex hoc fine operantes non tantum esse Dei amatores ardentissimos, sed esse quoque castissimos, obedientissimos, paupertissimos, humillimos, seque ipsos faciles & pronos inuenire, non solum ad amandum Deum, verum & ad opera harum virtutum ob earum honestatem præstanda. Quod ita non esset, si charitatem tantum auxissent, & non reliquis virtutes cummulassent. Hi etiam, si aliquando contingeret à charitate excidere, non ob id statim difficiles se ad opera virtutum moralium inueniunt. Signum est ergo, prioribus actibus ex charitate factis virtutes acquisitas fuisse genitas, aut aliquod augmentum consequutas. Id autem à recta Philosophia non abhorret: Quia quando vnus finis ab alio dependet, & ab alio perficitur, & completur, potest quidem voluntas in illum priorem solum ferri, & etiam in illum vt ab alio pendentem, & ab eo perfectionem accipientem, ire. Talis autem est honestas cuiuscumque virtutis moralis: adeo vt verum sit, quod honestum est nobis temperatè comedere, quia est gratum Deo: & si illi non esset gratum, nec nobis profectò esset honestum. Bene ergo possumus in honestatem

A abstinentia, & in quaestionem diuini beneplaciti tendere, ita vt ex hoc sine adiecto honestatem abstinentiæ non amittamus, immò meliùs & perfectiùs conseruemus. Sic itaque nobis operandum est, si volumus breui tempore, cum gratia Dei, non parum in virtute proficere. Istaque intentio non semel in initio diei, sed in singulis virtutum actionibus esset producenda; & non tantum in principio actionis, sed in decursu eius, si longior esset iteranda, vt sic charitate Dei, & virtutum honestate loti, & circumdati semper incidere-mus. Quam difficultatem habet, cum ad opus obedientiæ egredieris, cum magno seruuere intra te dicere: Domine, ecce obedio, quia honestum est, me Prælato, vicem tui gerenti, obedire, & quia tibi gratum iudico me iussa facere: Quem laborem habet, si contumeliam audias, & teipsum comprimias, mentem in Deum dirigere, dicens: Deus meus, ecce mansuetè contumeliam sustineo; quia scio mansuetudinem esse honestissimam, & in tuo conspectu acceptissimam; cui summè placere cupio, & super omnia desidero. Certe nullum. Et quare sine labore, aut cum modico labore non proficiemus, & in teporem versu ex frigida quadam assuetudine opera nostra præstabimus? Magni ergo refert ad virtutes comparandas, ex hac intentione actuali (sic enim à sapientibus vocatur) semper operari, vt opera nostra sint pulchra, & omni ex parte perfecta. Illis namque si hæc intentio, propria sanè fidelium, & Christo seruientium, desit, quasi caput deesse videtur, sine quo minimè cuiusque rei pulchritudo subsistit. Sunt etiam velut fructus acerbi, qui necdum ad maturitatem proeucti, summo regi offerri non possunt. Sunt denique labores minus felices, qui illud, cuius gratia admittendi sunt, non consequuntur, vt scilicet Dei gratia & ob eius amorem sustineantur.

At si actiones Virtutum ex hac præstantissima intentione fiant, sunt veluti columnæ pulcherrimæ, quibus capitella, & bases decorem adiungunt. Actiones ipsæ sunt columnæ virtutis, honestate rectæ, & firmitate robustæ. Capitellum singularum est prima illa intentio, qua in virtutis honestatem tendimus, quia ab illa tanquam à capite, & à principio operari incipimus. Basis verò est alia intentio altior & excellentior, qua Deo placere cupimus, & eius ardentiores amatores fieri, quoniam cum in hac intentione opus figimus, illud quasi in suo fundamento solidamus. Ad eò vt si actu, vel saltem virtute bonum opus in Deum non tendat; nullo modo in spiritali domo, quam ex meritis ædificamus, subsistat. Optimè quidem hoc explicat Gregorius, tractans illud Iob: Super quo bases illius, id est, terræ, solidatæ sunt.] Vbi scribit: Bases quippe vniuersiisque sunt animæ intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus:] Tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Incassum verò alta super se bases ædificia erigunt, si non ipsæ in fundamento solidatæ consistunt: quia nimirum, quamlibet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectunt, & vitæ veræ præmia non requirunt: tantòque grauiora ruinæ super se damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum portant; quia cum æternæ

Iob. 18.6.
Greg. 18.
mor. 6.

1. Cor. 3.
11.

vita

vite premiis non intendunt, quo plus se quasi in virtutibus erigunt, eo in gloria inanis foueam profundius cadunt.] Sic ille. Christus itaque, fundamentum est bonorum operum, in quo sanè non collocantur, si per intentionem in eum actu vel virtute non tendant. Si verò actu, & expressè propter illum fiant; tunc firmius & indissolubilius erecta consistunt. Tunc faciunt nos abundantes & diuites, quia & virtutes perfectiores acquirimus, & abundantissima præmia laborum obtinebimus. Erimusque ex illis, de quibus sanctus David ait: Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.] Cùm impij, ait, verbis & factis delinquant, & in suis operibus seipfos, ac temporalem prosperitatem quaesierint, tunc populus Dei, iusti scilicet & sancti, ita ex toto corde ad Deum reuertentur, ita verè ipsi adhaerebunt, vt nihil in sua conuersatione, nisi eius beneplacitum ac gloriam inquirent. Fietque ex hoc, vt dies plenos habeant, dies nimium abundantia meritorum repletos, à quibus nunquam excident, quæ, labente tempore, nunquam amittant. Et hanc fortassis ob causam, iusti viri, dierum pleni moti dicuntur, quia hinc meritorum pleni decedunt. De Abraham quippe dictum est: Deficiens, mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum.] Et de Iob: Mortuus est senex, & plenus dierum.] Tam hic quàm ille vsque ad satietatem vixerunt, quia merita, ad quæ destinati erant, abundantissimè bene viuendo sunt assequuti. Qui autem eo modo, quo diximus, in virtutum actiones incubuerit, similiter atque illi plenus dierum morietur, quia postquam optimè fuerit vita perfusus, non erit cur illum amplius viuendi desiderium teneat. Morietur quidem plenus dierum, plenus scilicet meritorum, quoniam non partem aliquam modicam, sed omnes partes vitæ suæ (prout in hac vita mortali fieri potest) merita abundantiora replebunt. Nam si omnia opera in Deum dirigat, & propter eius amorem elicit, omnibus illis mercedem auget. Loquendo, tacendo, corpusculum reficendo, paulando, & dormiendo merebitur, quia nihil quantumvis vile & abiectum, vacuum est merito, quod Dei amore & purissima intentione vestitur. Longitudine dierum, ait Dominus, replebo eum; & ostendam illi salutarem meum.] Dies longior dicitur, in quo plurima operamur, ad quæ elaboranda, duo, aut plures dies non videntur sufficere. Ideo perfectus vir, licet in florida ætate decedat, longitudine dierum impletur, quia Deum in omnibus querens, plus quàm senes & decrepiti, imperfectionibus sordentes, operatur. Ingressur in abundantiam, sepulchrum, quia in vita sua multum laborauit, & largissimè meruit, licet non multos mortalitatis annos acceperit. Bonus enim vno anno plus viuus, quàm centum annis malus: nam hic viuendo diutius, maiorem mortem aggregat, cùm tamen ille paucis diebus æternam vitam sibi comparet. Ingressur profectò quietem in abundantiam, id est, in magna bonorum spiritualium copia & opulentia: quoniam non potest non esse diues, cuius diuitias quilibet euentus, siue prosperi siue aduersi, quia propter Deum accepti aut tolerati, multiplicat. Et idem erit in hac parte, mori iustum plenum annorum, & plenum spiritualium diuitiarum, quoniam anni non defuerunt illi, qui paucis annis magnam perfectionem congregauit. Ne ergo in fi-

Psal. 72. 10.

Gen. 25. 8

Iob. 42. 16.

Psal. 90. 16.

A ne vitæ de teipso conuertaris, & dicas: Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeratui mihi:] opera tua in Deum dirige, propter eius amorem exequere, quæ menses tuos impleant, & à nocte huius vitæ tanquam dulcedine amoris illita, laborem depellant. Nam non amore Dei, sed amore sæculi aliqua bona facere, vel aliqua aduersa pati, vacuum est & laboriosum. Mens enim afficitur, inquit Gregorius, & remunerationis præmio non repletur.

Iob. 7. 3.

Greg. 8. mor. c. 5.

Septimum Instrumentum, Robur mentis, ad persistendum in querenda virtute.

CAPVT IV.



M VITÆ sunt, quæ cor humanum abstrahunt à sequela virtutis: Instabilitas, necessitas, difficultas, & opposita consuetudo, cuius falsa dulcedo illud multo tempore in vetitis detinuit, & ad vilita & inania pertraxit. Cor hominis instabile est, omni palea leuius, quod leuis tentationis aut occasionis ventus rapit, & in varia dispergit. Assiduus & magnis necessitatibus subiacet, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & sua imbecillitate, & dolorum, ac morborum varietate, & multitudine, illam non cælestia, sed terrena, & quæ ipsi corpori adiumento sint, cogitare compellit. In virtutum operibus non minimam difficultatem inuenit, quorum officium est, naturam corruptam castigare, comprimere, à rebus dilectis segregare, ab ingenua vilitate educere, & ad altiora & inuisibilia sustollere. Ipsum denique vitiosæ consuetudines obruunt, & decipiunt, & retardant, ne ad insueta, & infirmo palato minus suaui transeat, ac res ex diurnitate eas amandi quasi in naturam versas deserat, atque relinquat. Non ergo sufficet ad virtutem aliquam obtinendam, eam cognoscere, æstimare, desiderare, & postulare, & aliquanto tempore, etiam cum diffidentia sui, in eius honestatem intendere, nisi etiam animus ad superandas has omnes difficultates, robur, firmitatem, & constantiam induat. Sciat, nihil esse magnum, quod non sit aliquantulum laboriosum, resque præstantes multis solere difficultatibus implicari; & quandoquidem virtutem optimam, maximam, ac præstantissimam iudicat, eam sine labore & difficultate assequi non præsumat. Casta illa Iudith, vt Holofernem vinceret, & victoriam de hostibus reportaret, quidam à Domino inter alia petiuit? Da mihi, dicebat, in animo constantiam, vt contemnam illum: & virtutem, vt euertam illum.] Nouerat enim, absque hac diuinitus immissa constantia, suum animum esse delictis ac carnis illecebris delinendum, & pro sapore amoris impuri, ab amore populi, & à desiderio victoriæ separandum. Sic omnino qui victoriam per studium virtutum de vitis exoptat, eaque in semetipso extinguenda desiderat, ad hanc primum animi firmitatem aspiret, sine qua nec leuet eas, quibus assuevit, delicias contemnere, nec vitia contraria profligare. Hostes animæ non tam primos imperus pugna, quàm constantiam in pu-

Iudith. 9. 14.

Iudith. 9. 14.

Judith. 16.12.

Prov. 18. 14.

Ecclesi. 34. 12.

Exod. 13. 11.

Ambros. li. 1. de Cain c. 10.

Ecclesi. 27. 12.

gnando pertimescunt: nec ardenti conatu, qui cito transeat, sed stabilitati mentis & perseverantiz cedunt. Ipsaque sancta femina ad iustorum eruditionem id cecinit, dicens: Horuerunt Persae constantiam eius, & Medi audaciam eius.] Nam si audacia ad aggrediendum, & constantia ad non desistendum, se copulent, & impetum in vitia faciant, ea per virtutes oppositas in fugam vertent, & magnum eis timorem incutient. Spiritus viri, ait Sapiens, sustentat imbecillitatem suam; spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere?] Ac si dicat: animi firmitudo ac stabilitas est, quae hominem ad capeffendam virtutem roborat, & ad vitia contraria superanda confortat: quod si minima tentatione oborta, statim irascatur, & animum praeter tristitia & pusillanimitate despondeat, quis adversus illum non irretetur, qui tam facili occasione a bono desistit? Et Ecclesiasticus ait: Dominus solus sustententibus se in via veritatis & iustitiae.] Gloria- tur videlicet Dominus, se esse Dominum viro- rum robustorum, qui in via veritatis & iusti- tiae perseverant, & virtutis impedimentis eos a bono retrahentibus obsistunt. Sicut enim ho- mo gaudet, si habeat seruos fideles, & rex laeta- tur, si milites habeat fortes ac robustos, qui nunquam eum in acie deserant, nec hostibus ter- ga vertant: ita Dominus de suorum servorum, ac militum constantia, & firmitate vehementer exultat.

Primum ergo adversus humanam instabilitatem pugnandum est, & mens est in bono stabilienda, & forti proposito constanter agendi fir- manda, ne ex sua lenitate ac mobilitate a bono diffiliat. Et si in malo aliquando pertinaces fu- imus, & nostram instabilitatem ad perditionem vi- cimus; nunc eandem ad salutem vincamus, & in bono constantes stemus. Hoc enim per myste- rium in Exodo praecipit nobis Dominus, cum di- xit: Cumque introduxerit te Dominus in ter- ram Chananai, quicquid habueris masculini se- xus, consecrabis Domino.] Nam quid est aliud in terra Chananorum, id est, instabilitum, ma- sculos Domino consecrare, nisi omnem nostram constantiam in eius obsequio collocare, & forti- tudinem virorum in virtutibus congerendis im- pendere? Chananai, inquit Ambrosius, mo- biles & inquieti sunt. Cum igitur in eorum terram fueris ingressus, quos aduertis propter leuitatem, inquietudinem, & instabilitatem morum, posses- sione deiectos, tu teneto constantiam. Non te vilis ratio, non levis sermo perturbet. Hoc est enim Chananus, mobilis sermo, affectus insta- bilis, & inquieta contentio. Sed magis tranqui- litatem cordis, & animi serenitatem placidus ser- uato, ut tanquam in salo maris, tutam nauibus stationem portu quodam tuae mentis exhibeas.] Sic ille. De viro quidem iusto dictum est in Ec- clesiastico: Homo sanctus in sapientia manet, sic- ut sol:] de iniquo vero, & tepido additur: Nam stultus sicut luna mutatur.] Ille merito soli com- paratur, quoniam non solum in meditatione, sed etiam in operatione sapientiae, & in omnis virtu- tis actione semper idem manet, semper splendidus & pulcher incedit, & nunquam a virtutis splen- dore desistit. Ille vero lunae similis dicitur, quia in luce, id est, in virtute, mutabilis est, & quam prius acceperat, ex mutabilitate sua, etiam nul- la interveniente occasione dimittit. Ille non- nunquam tentationum & persecutionum nubi-

bus impeditur, ne possit in alios suam lucem dif- fundere, & eis exemplo prodesse, at in seipso semper manet lucens & splendens, nullaque lu- cis defectione fulcatur. Ille contra absque vlla nube, id est, absque vilo impedimento in semet- ipso virtutis amissione obscurus & teter efficitur. Ille denique semper suis affectibus dominabitur: nam principatus sensati stabilis erit.] Ille de quo scriptum est: Impius facit opus instabile, sem- per affectibus agitur seruiet, neque in libertate filiorum Dei, quam habere coeperat, permane- bit.] Sint itaque iusti sicut caeli, qui sine vlla in- termissione ordinatis motibus voluantur, & in lo- co, in quo a Deo positi sunt, torpore seposito moueantur, nunquamque eundem tenorem sanctae vitae relinquunt. Nam de illis dictum est ad Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt.] Quare iusti sunt caeli? Quia semper ad virtutem mouentur, vel potius ex vna virtute ad aliam, & ex ista ad il- lam circumuoluuntur. Et quare solidissimi? Quia, ut inquit Gregorius, ab integritate coepae fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine consu- muntur. Quibus, & fortiter contra aduersa du- rantibus auctoris voce dicitur: Vos estis, qui permanistis mecum in tribulationibus meis.] Nu- bes ex vaporibus fiunt, frigore & caelesti virtute densatis, qui si non cogentur, atque densescer- ent, nunquam terram irrigarent, nec abundan- tiam frugum afferrent. Sic & homo, cuius vita vento & vaporum comparatur, non poterit abun- dantem pluuiam virtutis & bonorum operum da- re, nisi per constantiam comprimatur, & ab aeris instabilitate liberetur. Et ad hunc sensum etiam mystice exponit idem sanctus Pater Gregorius aliud dictum Iob: Subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.] Iusti enim ante iusti- tiam sunt quasi vapores, quos leuis aura tentatio- nis fugat: post iustitiam, sunt quasi nubes caelesti virtute densatae, & ad pluuiam bonorum operum dandam congelatae, quas in caelum leuatas mini- me terrena conturbant. Has ventus transiens fu- gat, quia vita transiens a conspectu eorum, qui- bus exemplo & doctrina profunt, occultat. Qui tamen iusti in hoc a nubibus distant, quod nu- bes transeuntes euanescent, iusti autem hinc emi- grantes, praemium stabilitatis suae, aeternitatem, re- cipiunt.

Nec solum est contra instabilitatem, ve- rum & contra necessitatem decertandum, ut si necessitas ad corporalia cogitanda, & curanda nos vocat, nunquam a virtute repellat. Sunt enim nonnulli, qui tandiu virtutis studiis vacandum esse putant, quandiu nihil emerferit, quod mentem ad alia cogitanda sollicitet: si autem id instet, pia virtutum exercitia intermittenda decernunt. Si corporalis infirmitas aut imbecillitas torqueat, si alicuius muneris cura occupet; si rerum necessariarum penuria premat; si itineris faciendi necessitas urgeat; immo si intermissio aliqua sit ex more hu- manae fragilitati concedenda, tunc a rebus spiri- tualibus cessant, vel eas tepidissime tenent, & sua vita studium adipiscenda virtutis hominum otio- forum, & nullum impedimentum habentium esse profitentur. Cum tamen qui ad nonnullum, pro- fectum peruenire volunt, debeant omnino qui- buslibet impedimentis obsistere, & nunquam a virtutis studio cessare. Et sane hanc ob causam pauci proficimus, & ad aliquam mediocritatem spiritualis vitae peruenimus; quia nimirum in hu-

Ecclesi. 10. 1.

Prov. 11. 18.

Iob. 37. 18.

Greg. 27. mor. c. 24.

Iob. 22. 18.

Iob. 37. 11.

Greg. 17. mor. c. 26.

ulmodi occasionibus à studio virtutis intepescimus, & potius temporalia quam spiritalia sectamur. Nam cum res temporales multæ sint, & maximam temporis partem præcipiant, tempus, quod ex illis superest, angustissimum est, si solum in virtute occupetur, & in eo tantum hæc præstantissima ars addiscatur. Robur ergo animi necessarium est in multiplici hac necessitate, vt illi quidem occurrat, sed propter illam virtutis studia non deserat, quin potius ipsam multiplicem necessitatem, materiam, & instrumentum virtutis efficiat. Sed quomodo id fiet? Ita quidem: si pia virtutis studia, quantum possibile fuerit, corporali aut temporali necessitate virgente, non abcedant. Nam & in ægitudine, nisi ipsa omnino vires absumat, orationi saltem aliquantæ vacandum est, & virtutes postulandæ, & reliqua, quæ incolumes præstamus, saltem efficaci desiderio perficienda. In munere autem nobis demandato, non solum pia studia intermittenda non sunt, sed maiori sollicitudine in ea incumbendum, sine quibus nec fatisciamus muneris, & nos ipsos distrahemus. In itinere etiam, & in animi remissione, & in cuiuscumque necessitatis prouisione, si viri spirituales esse debemus, opera quoque spiritalia, & conuersationem, Deo dignam, & virtutis amorem, & exercitia pro temporis commoditate non relinquemus. In hoc ergo robur mentis collocandum est, vt istæ, & similes aliæ necessitates, nequam nos obruant, & ab vniuersarum virtutum studio diuellant. Semper hoc studium negotiis reliquis præferatur, semper desiderium puritatis alia omnia desideria subiiciat, & ea, non ad sui extinctionem aut remissionem, sed ad augmentum & ardorem assumat. Ita faciebat Iob, qui non iam tot necessitatibus, sed tot calamitatibus ab amore virtutis auocatus, dixit: Iustificationem meam, quam cæpi tenere, non deseram. Multa, inquit, sunt, quæ in corde meo studium virtutis impugnant; nam hæc extrema paupertas, hæc molesta carnis infirmitas, hæc sinistra, quam de me amici, & amici reges conceperunt, opinio, curas ingentes cibi, quo sustententur; medicinæ, qua saner, rationum, quibus meam innocentiam defendam; & vitæ huius iam euanescentis, & à me fugientis, inducit. At ego, qui virtutem ac sanctitatem charitatem habeo, ab eius acerbissimo amplexu nunquam discedam, prius reliqua omnia disperdam, quam pretiosam istam gemmam dimittam. Hic sanctus vir necdum verba Ecclesiastici legerat: In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conferua vias illius. Et tamen ita cor suum ad virtutem applicuit, ita omne robur, & omnem fortitudinem suam, in ea conferuanda & augenda collocavit, vt nec tot malis impeditus, vel ad momentum ab eius dilectione & actione ceciderit. Et qui passus est, cunctis humanis bonis & felicitatibus spoliari, nunquam in animum induxit, virtutem exuere. Nos verò, qui hæc legimus, qui hæc meditamus, & qui in exemplum alii dati sumus, minimo impedimento suborto, studium puritatis deserimus, vt omnibus notum sit, quod non pleno corde, sed summis labiis (vt aiunt) virtutem attingimus.

Sed ais: Duplex est ergo in virtute difficultas; altera, quod per se difficilis est; altera, quod etiam inter impedimenta studiosè agendi perseverantiam requirit? Fateor. Ad vtramque tamen difficultatem superandam vnum mentis ro-

Abur sufficit, benignissimi Dei gratia & fauore fultum. Quanti enim viri perfecti virtutem strenuè colentes, inter grauissima impedimenta, quæ iter salutis difficilis reddebant, ad summam vique perfectionem ascenderunt? Sed illi, sicut & nos, ossibus erant & carne compacti, & amoris virtutis firmiter adherentes, necessitatum & impedimentorum ligamenta freguerunt. Idem certissime nobis eueniet, si non segniter virtutis viam intrauerimus, si firmiter & animosè eam quaesierimus, quia eundem Deum protectorem, atque illi, & similem gratiam adiutricem habemus. Amor est, qui robur adicit, & omnem difficultatem vincit; quia, vt ait Augustinus: Quicquid difficile est in præcepto, leue est amanti. Nec ob aliud rectè intelligitur dictum: Onus meum leue est, nisi quia dat spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, vt amando liberaliter faciamus, quod timendo qui facit, seruiliter facit. Amemus itaque, vt amore difficultatem virtutis superemus; & si nobis aliquantulum difficilis, & onerosa videatur; animi firmitate, quæ in eius adeptione ponitur, quicquid obstitit, vincamus. Si enim avarus inueniet magnum pondus auri, quo maius esset, eo auditiùs caperet, arctius astringeret, & diligentius absconderet, ne aliquis thesaurum inuentum præpereret. Et nos avari sumus, si vitam spiritualem amplectimur, non auri sed virtutis, in qua non vituperabilis, immò maximè laudabilis auaritia est. Amplectamur fortiter pondus illius, quæ omni est argento & auro pretiosior, & difficultates ferendi illam subiiciamus, ne inter inertes & pusillanimes computemur. Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis, ait Ecclesiasticus, & non demorabuntur proicere illam. Erit profectò vera sapientia, & vera virtus inertibus & pusillanimis quasi lapis, quo vires hominum olim probabantur, nam sentientes virtutis pondus, statim aut post aliquantulum temporis illam abiicient. Quidam eorum tantillum illam efferunt, vsquequò virtutis initia prægustant, & statim deponunt: alij vsque ad genua vel vsque ad pectus eleuant, qui nimirum ad profectum virtutis veniunt: paucissimi autem sunt, qui supra caput attollant, & se totos virtutis perfectioni subiiciant. Ex his paucissimis esse conabimur, & ita fortiter virtutem astringemus, vt nulla superueniente occasione, è nostris manibus excidat. Ad quod nos hortatur idem Sapiens, dum inquit: Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collam tuam: Subiice humerum tuum, & porta illam, & ne accideris vinculis eius. Si virtus, ô iuste, negatiuis præceptis te à malo cohibuerit, & quasi compedibus astrinxerit, iunge libenter pedes tuos, & compedibus teneri permittito, ne ab his dulcissimis compedibus expeditus, non tam liber fugias, quam in seruitutem miseram dilabaris. Si à te omnem otiosè vagandi occasionem eripuerit, & ac si es felis canis fuit, correctionis numella ligauerit, nequaquam colli ligamen excutias, quo ad salutem alligaris, & à tua perditione discedis. Si humeris tuis onera hoc & illud faciendi impolueris, ne detrectes onus, quod si portaueris, te ipsum portabit, & non ad ima premet, sed ad sedes in caelis paratas euehet. Si tandem manus tuas nexibus præceptorum astrinxerit, & ab omni malo continuerit, ne tædio afficiaris, nec te in eactem coniectum putes, quia magnam in ea latitudi-

Aug. ad Psal. 67. in illud: si dormias.

Ecclesi. 6. 21.

Ecclesi. 6. 25.

Iob 27. 6.

Ecclesi. 6. 27.

nem mentis reperies. Ne aliqua difficultate terrearis, sed cuique insurgenti impedimento resiste, sic cum vincenibus & perseverantibus coronam victoriae consequeris.

Postremo adversus vitiosas consuetudines fortiter agendum est, ut debellatae, virtutibus cedant, & cor nostrum melioribus & quietioribus hospitibus vacuum relinquunt. In quo licet dolor sit, non tamen possumus sine aliquo dolore plagis, & vulneribus nostris per virtutes mederi, & quae superfluunt, abscindere. Hunc etiam dolorem, quod illum sequitur, gaudium repensat, immo & prae magnitudine sua priorem dolorem absorbet. Gaudium enim maximum est, quod pro vitiosis affectionibus studiosae nascuntur, quae non pungunt, sed mentem exhilarant. Gaudium quoque est, quod pars nostra inferior, virtute moderata, malos mores deducit, pravam libertatem deserit, & rationis imperio obedire assuescit. Fitque ut maledictio contra Euam pronuntiata, ipsi in benedictionem convertatur. Illi sic dictum est: In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Sed hoc in appetitione nostra benedictio est; quia dolet mala abiciens, ut de bonis gaudeat, & noxiam libertatem deponit, ut obedire rationi discat. Veruntamen, inquit Augustinus, magnum sacramentum est, huius sententiae, scilicet quod nulla abstinentia fiat a voluntate carnali, quae non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quod cum pervenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus est affectus per consuetudinem bonam. Quae consuetudo ut nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini mala. Et post pauca, Et quare dictum est: Et erit tibi conversio ad virum tuum, & ipse tui dominabitur: nisi quia illa pars animae, quae carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita pepererit consuetudinem bonam, cautius iam & diligentius rationi obtemperat, tanquam viro, & ipsis quasi erudita doloribus, convertitur ad rationem, & libenter servit iubenti, ne iterum in aliquam perniciosam consuetudinem desinat. Sic ille. Si ergo adversus pravam consuetudinem roboremur, a via illa declinamus, quae ducit ad mortem, & eam ingredimur, quae festinat ad vitam. In qua si aliquantulum perseveremus, eam non iam difficilem & tristem, sed facilem & laetam experiemur. Quod sane satis superque sufficeret ad pravae consuetudini reluctandum. De quo egregie Hieronymus haec ait:

Gen. 3. 16.

Aug. lib. 2. de Gen. cont. Manich. c. 19. tom. 1.

Hieron. epist. ad Celantiā. to. 1.

Sap. 1. 14.

Vide quanta inter has vias separatio sit quantumque discrimen. Illa ad mortem haec tendit ad vitam. Illa celebratur, ac teritur a multis; haec vix invenitur a paucis. Illa enim vitiis per consuetudinem quasi declinior, ac mollior, & velut quibusdam avana floribus voluptatum, facile ad se rapit commeantium multitudinem; haec vero insuetae calle virtutum tristior, atque horridior ab his tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quam utilitas mansionis. Asperam enim nobis, & insuavem virtutum viam, nimia facit vitiis consuetudo: quae si in partem alteram transferatur, invenietur, sicut scriptura dicit: Semita iustitiae levis. Haec tenus ille. Quamvis ergo prava consuetudo inualuerit, non est de eius victoria desperandum, cui Dominus perseverantiam in studiosis operibus, & virtutum actibus in remedium adhibuit. Ipse, ut dicitur in libro Sapientiae, creavit ut essent omnia: & sanabiles fecit nationes or-

bis terrarum. Quod si nos fecit, ut essemus, absque dubio convenientia remedia contulit, ne per peccata pereramus. Si ita nos condidit, ut post languorem possumus ad animae sanitatem redire, nequaquam de eius potentia, aut de remedij efficacia desperemus. Remedium autem est robur animi & firmitas mentis, quae adversus oborta impedimenta pugnamus: illa tandem desiciemus, & nos in omni virtutis ac puritatis possessione collocabimus.

Octavum Instrumentum, Cura particularis, in vitiis cuique virtuti contrario eliminando.

CAPVT V.



Hoc postremum instrumentum adipsicendae virtutis, ex his quae ad voluntatem pertinent, magni momenti est, adeo ut solum ipsum confueverit spirituales animas ad perfectissimam puritatem peruenire, & ideo latius pertractandum. Beatus Pater noster Ignatius in aureo illo libello exercitorum, qui tantas de diabolo victorias peperit, & tam copiosos fructus in horrea Ecclesiae congestit, duo examina nos edocuit, quorum alterum vocavit generale, alterum particulare. Generale examen est; quo quotidie culpas nostras defectusque discutimus, & cum firmo proposito emendationis iugemus. Particulate vero examen est, quo adversus aliquod vitium particulare pugnamus, oppositum illi virtuti, quam assequi concupiscimus. Nomen quidem novum, res tamen vetus, & satis ab antiquis cognita, & maximi momenti existimata. Hoc examen particulare, nos curam particularem seu specialem appellavimus, ut pro his, qui hunc libellum non viderunt, communiori & clariori nomine uteremur. Neque abhorret haec appellatio ab ea, quam Sanctus Pater noster usurpavit, quoniam hoc nobilissimum, & nunquam satis laudatum exercitium, & curam & examen continet, & alia nonnulla ex quibus componitur, quae sigillatim exponemus. Dicendum est igitur, quid sit hoc examen, a quibus cognitum & exploratum, quanta sit eius necessitas & utilitas, quae partes & fructus, & ad quae moderanda & componenda se extendat, ut sic pro nostro modulo, eius dignitati fiat satis.

C

D

E

Examen particulare est pugna, seu congressio cum aliquo speciali vitiis, ex proposito, cura, examinatione, & collatione compacta, cuius fructus est, vitium illud eliminare, & oppositam virtutem acquirere. Haec descriptione praestantissimum hoc addiscendarum virtutum, & extinguendorum vitiis instrumentum expressimus: quae sigillatim explicanda est, ut vtilissimae exercitationis, qua novimus innumerabiles admodum profecisse, vis & quidditas innotescat. Examen particulare est pugna: quia sicut pugna visibilis vnius cum altero, est conatus virium corporaliū, quo pugnant nititur hostem sibi resistentem desicere atque prosternere. Ita in hac spiritali exercitatione, amator perfectionis omnem suae mentis conatum applicat, ut possit pro amore virtutis vitium sibi molestius superare. Haec pugna ex parte hominis iusta est: quod enim de Christo dicitur in Apocalypsi: Cum iustitia iudicat, & pugnat:

Ignat. li. exercit. Hebdem. 1.

Apoc. 19. 11.

id

id est, nulli iniustum bellum inferat, de eius membris in hac parte dici potest, quod aduersus singula vitia cum iustitia pugnant, vt mentes suas a durissima eorum seruitute liberent, & ad iustitiam & puritatis libertatem assurgant. Est autem ex parte vitiorum iniusta, quoniam vitia contra voluntatem naturalis Domini, scilicet Dei, alienum castrum, id est, mentem hominis, occupant, & in ea sibi subdenda & inficienda perseuerant. Nec putandum est, hanc non esse verè & propriè pugnam, quia nullus exterius apparet, qui nos adoriatur, & nobiscum luctetur: nam licet exterius omnia in pace sint posita, tamen interius est bellum, intra sunt hostes, quorum desiderium est, non opes perituras, sed gratiam, sed virtutes, sed bona omnia spiritiualia diripere. Et, vt dixit Ambrosius: grauior est pugna eius, qui intus, quam illius qui foris dimicat. Vitia, quæ oculis non videmus, satis verò interius grafsantia sentimus, aduersus nos pugnant, & nos aduersus illa pugnamus: & locus pugnae non montes, non campi, non valles huius mundi, sed cor nostrum est. In eo conflictus est belli, adeo prolixus, vt vsque ad mortem non cesset: adeo periculosus, vt difficile sit non aliquando vulnerari: adeo anceps, & dubius, vt nisi adesset adiutorium gratiæ Dei, non posset homo spem aliquam victoriæ concipere. Pugnamus quotidie, inquit Augustinus, in vno corde nostro. Vnus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggestit auaritia, suggestit libido, suggestit voracitas, suggestit læticia popularis. Omnia suggeruntur, ab omnibus se continet, omnibus respondet, & ab omnibus auertatur, difficile est, vt non ab aliquo feriat. Vbi ergo securitas? Hic nufquam, in ista vita nufquam nisi in sola spe promissorum Dei. Ab hac pugna, ad quam iustus vocatur, & prouocatur, nunquam debet in suo corde desistere, sed illum imitari, qui dicebat: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Matutino tempus, id est, opportunissimam diei horam eligat, qua possit aduersus vitia sua dimicare, eaque compunctione & proposito emendationis delere. Vel matutinum, primam vitij alicuius ostensionem designat, quia statim ac se ostentat, & nostram pacem turbare aggreditur, hæc est salutaris pugna dissipandum. In matutino, ait Laurentius Iustinianus, videlicet in primo internarum suggestionum congressu, ac corporalium voluptatum impulsu, de cordis mei thalamo, qui Domini ciuitas esse perhibetur, cunctorum vitiorum propellebam insultus. Hæc sanè spiritiualis est pugna. Hæc, inquam, est violentia salutaris, quam sibi ipsi iustus quisque indicit, vt animam suam in pace possideat, virtutum margaritis fulgeat, perfectionis alta conscendat, atque post consummatos pro Christo labores, Beatorum spirituum cætibus inseratur.]

Particulare tamen examen non quæuis est pugna contra vitia, sed illa, quam non aduersus omnia vitia in generali, sed aduersus vnum aliquod, quod magis nos infestat, & virtutem cupitam impugnat, speciale suscipimus. Quia enim (vt postea dicemus) difficile est & minus vtile, aduersus omnia vitia in generali dimicare, & ad omnem simul aspirare virtutem, per partes in hoc opus incumbimus, & vnum aliquod vitium excindere, vnamque specialem virtutem comparare gestimus: & ista acquisita, aliud vitium destruere, & aliam virtutem obtinere contendimus, & tandem vniuersam perfectionem hoc modo assequi conamur. Habemus autem de hoc duplici modo præliandi, imagines in scriptura pulcherri-

A mas. Iam enim populus Dei aduersus acies hostium suorum pugnat; iam vnus aliquis fortis cum vno tantum, ex pluribus, hoste decerrat. Sic vir iustus, nunc contra omnia vitia se exerit; nunc verò, quia minus potens est ad omnia, mutato consilio cum vno tantum præliatur, vt hoc bellum prudentius gerat, & hostibus vno post alium occisis, virtutes etiam non vno (vt aiunt) impetu (quod fieri non potest) sed successu temporis paulatimque conquirit. In historia Regum, quatuor, quæ huius specialis pugnae aduersus vnum vitium figuræ sunt, bella narrantur, ex quibus duo tantum referemus. Alterum est; [in quo Adeodatus, cognatus Dauidis, interfecit alterum [Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat liciatorum xentium.] Quem namque iste Adeodatus refert nisi virum iustum, cuius omnia bona, Dei dona sunt, quæ non ex propriis viribus, sed ex superno auxilio potuit accipere? Et meritò cognatus veri Dauidis Christi dicitur, cui non carne & sanguine, sed gratiæ spiritu copulatur. Qui & filius salus, & polymitarius, & Bethlehemitæ vocatus est, quoniam iustus, si non semper corpore, at semper corde in syluis & in solitudine, à curis mundanorum sequelstratus, habitat: & ex variis virtutibus tanquam ex multis filis polymita sibi, id est, pulchra sanctitatis indumenta facit, & à domo panis, qua iustus est, nempe ab Ecclesia, originem ducit. Is Goliath fratrem illius, aut similem illi, quem Dauid occiderat, interfecit, quia vnum vitium, illud nimirum ex quo alia suæ imperfectiones pendent, singulari hoc certamine prostravit atque deuicit. Hæc pugna satis quidem pulchrè hanc spiritiualem, & specialem pugnam cum aliquo vitio, virtutem, quam optamus, impediende, designat. At alterum bellum eo aptius ad nostrum bellum delineandum adducitur, quòd aliam qualitatem huius nostri certaminis, quam postea ex professo tractabimus, valde necessariam illustrat. Illud autem est, in quo Ionatham, filius fratris Dauid, [virum excelsum, senos in manibus & pedibus digitos habentem,] gladio percussit. Si enim senis digitus, vt nonnulli volunt, sex quæ sunt in consummatione peccati designantur: nempe cogitatio, desiderium, loquutio, operatio, consuetudo, & gloriatio de peccato, quid aliud erit senos huius gigantis digitos commemorare, nisi rationem pugnandi aduersus aliquod vitium aperire? Ea autem est, quòd cum vitium multas partes habet, hæc speciali pugna, vt efficiatior sit, non aduersus omnes simul pugnandum, sed quælibet seorsum ad certamen vocanda, vt vitium, quòd simul eradicare non possumus, saltem per partes excissum intereat. Istius igitur spiritiualis pugnae hoc proprium est, quòd vnum aliquod speciale vitium adoritur, & vnam specialem virtutem expugnare, & in hominis possessionem vindicare molitur, vt vires nostræ, quæ pauca sunt, in vnum coactæ, & non in varia, & multa vitia expugnanda dispersæ, facilius possint hostes perfectionis paulatim destruere, & ad eius fastigium ordinatis gressibus conuolare.

E iam tamen æstus desiderio sciendi, in quo salutaris hæc contra aliquod speciale vitium pugna consistat? In illis quidem quatuor supra commemoratis, nepe in proposito, cura, examinatione, & collatione, posita est, quæ qui strenuè præstiterit, & gratiæ Dei innixus exercuerit, absq; dubio & vitium deiicet, & virtutem oppositam possidebit. Hæc quatuor postea latius pertractanda, nunc breuiter exponamus. Propositum hoc significat, vt cum manè, lecto surgis, o vir Dei, & ipsi Domino genuflexus gratias agis, pro quie-

2. Reg. 21.
19.
Vide Abulensibi.
9. 39.

2. Reg. 21.
20.

Amb. lib.
2 de Dn-
nid. c.

Aug. ad
Eph. 99.
tom. 8.

Psal. 100.
8.

Iust. lib.
de spiri-
tuali ani-
ma inter-
ritu ante
finem.

to somno, & pro alia luce tibi vita concessa, & pro innumerabilibus periculis carnis & mentis, a quibus te in præterita nocte liberauit, firmiter quasi in gratiarum actionem statuas, eo die vsq; ad horam meridianæ refectionis, te aduersus vitium quod impugnat vis, vt aduersus vitium securitatis, aut detractionis, aut tepiditatis, pugnatu, nullumq; in ea materia nec minimum defectum admitturum. Istudque idem propositum paulo ante prandium firmiter repetas in examinatione tunc faciendâ, de qua statim dicam, & vsq; ad tempus dormiendi, eodem vitio aut culpa nequaquam fœdari decernas. Item vt sequenti die, & sic deinceps idem facias, toto tempore, quo vitium illud impugnatu constituis, & virtutem illi oppositam cõparare. Huicque proposito fortè accommodari potest illud dictum Salomonis: Cogitavi in corde meo, abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam. Quid enim est, cogitavi, nisi firmiter statui à vino temperare, vt sapientiam addiscerem? Quis autem credat, potentissimum, & dignissimum regem, ac ditissimum, semel tantum proposuisse, quo posset occasiones innumeras voluptatis, omni hora se ingerentes euincere? Cura est, vt toto illo tempore, quod est à factu proposito vsq; ad horam examinationis faciendâ, eiusdem propositi non obliuiscaris, sed illud implere, & actione præstare, & à vitio vel defectu illo abstinere curas. Breue enim tempus est, à manè vsq; ad prandium, in quo facilè te ipsum corriges; & breue à prandio vsq; ad cenam: & si his breuissimis morulis assuescas te emendare, suauiter te ad bonum decipies, & per longum tempus à vitio temperabis, & tandem illud astrues, & virtutem illi aduersam in mentis tuæ recessibus inferes. De hac cura intellige illud Sapientis: Cura ergo disciplina, dilectio est; & dilectio, custodia legum illius est custodia autem legum, consummatio incorruptionis est. Cura, inquit, id est, sollicitudo ac diligentia acquirendi virtutem, signum est dilectionis illius: dilectio autem causa est custodia præceptorum, quæ de illa virtute sunt lata: custodia verò huiusmodi præceptorum perfecta est virtutis acquisitio, ac totius perfectionis consummatio; à qua totum istud instrumentum nomen accepit, est, vt bis in die, semel ante prandium, & semel post cenam, antequam cubitum eas, in ipso tempore generalis examinis (de quo postea dicemus) conscientiam tuam attentè discutas, an illud propositum tuum custodieris, diligenter aduertas: si custodisti, Deum auctorem agnoscas, ei que gratias agas: si minus, amarissimè desideas, te ipsum reprehendas, & accuses, de admissis defectibus doleas, & de cetero te proposito tuo stare constituas. Ad hancque examinationem extendere possumus illud Pauli: Spiritus iudicat omnia. Nam & vir ille, qui spiritu Dei agitur, discernit, & dicitur omnia, quæ in dictis suis & factis inuenit, vt à se ipso iudicatus, & ob præposterè facta reprehensus, à nemine iudicetur. Qui enim ita uiuit, vt frequenter sua dicta & facta discutat, ipse suimet iudex factus, his superior euadit, quibus nulla est propria emendationis & discussionis sollicitudo; & quia superior ab inferioribus non iudicatur, ab illis iudicari non potest. Collatio tandem designat, vt si meridiana examinatione aliquos in te defectus deprehenderit aduersus illud propositum tuum, eos in charta, vel libello ad id parato, punctis, aut lineis, aut breui numero notes; & similiter in nocturna examinatione idem omnino facias; & numerum defectuum vnus examinationis cum numero alterius confetas; & similiter defectus vnus diei sequentis,

Eccles. 2. 3.

Sapient 6. 19.

Hoc eod. lib. p. 5.

1. Corin. 2. 15.

A & defectus præcedentis: necnon & culpas huius hebdomadæ, & defectus præterite, inter se compares, vt statum mentis tuæ videas, & an aliquantum proficias, vel potius deficias, manifestè cognoscas. Hanc diligentem, & (vt ita dicam) minutam inspectionem sui, quicquid sit de notatione in scriptis, docuit pulcherrimè Leo Papa, cuius hæc sunt verba notanda: Omnia, quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo, & quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat propriæ censura iudicij. Videat, si in secreto cordis sui illam, quam Christus dat, inuenit pacem; si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique alia felicitate non vitur, aut inimici miseria non letatur, & cum harum perturbationum nihil in se fortè reperit, sincero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequenter: & vitium nullis vanitatibus imaginibus acquiescat, vel quam citò animum ab iis, quæ noxiè blandiuntur, abducat. Hactenus ille.

Leo fr. 3. quadages.

B Hæc est natura huius instrumenti, quod curam particularem aut examen particulare vocamus; hæc generalis praxis, qua illo nobis vtendum est multis prætermittis, quæ ad specialem eius expositionem pertinent, & inferius sunt explicanda. Cuius examinis incredibilis est efficacia ad id assequendum, quod nunc tractamus, scilicet ad eliminanda vitia & virtutes inferendas. Quod probè cognoscere, tanti momenti reputauimus, vt non perfunctorie nec cursim, sed ex professo, & latè ad animatum utilitatem enucleare velimus.

De Particulari cura, sive examinis, auctoritate.

CAPVT VII.

RARTICVLARE Examen, diximus nomen esse nouum, rem tamen veterem: & de nouitate nominis nemo ambiget, quod ad hanc rem applicatum, nec in doctoribus Ecclesiasticis, neque in scriptoribus externis inueniet: sed an hæc res antiqua sit, volumus nunc inuestigare. Licet enim ad auctoritatem ei conciliandam, sententia Beatissimi Patris nostri sufficiat, qui non solum sanctissimus, sed & illuminatissimus ad erudiendas animas in via spiritus extitit, & hoc instrumentum vincendorum vitiorum & assequendarum virtutum docuit, & vsq; ad felicem mortem ab eius diligentissimo studio non desitit; tamen non oberit, hanc eius doctrinam antiquorum dictis & exemplis confirmare, vt omnibus innotescat, Dei spiritum semper eadem docuisse, & spiritualibus viris certissimam & efficacissimam viam ad proficiendum demonstrasse. Huius curæ, vel examinis, seu pugnae (his enim nominibus hoc instrumentum vocauimus) non alium quam Christum Saluatorem nostrum auctorem esse fateamur: nam (si accidentia istius instrumenti semoueamus, & solam eius substantiam spectemus) ipse aliquando in sua conuersatione eius formam ac rationem expressit. Ille quidem nullum vitium habuit, nec habere potuit; & eius anima ab instante creationis suæ omnibus in summo gradu virtutibus abundauit, nullam de nouo virtutem acquisiuit: quin & robor habuit, vt simul vno impetu

vnuerſa

vniversa in nobis vitia, & omnes aduersarios suos, & omnem infernum contereret. Elegit tamen in deserto, in quo pugnas spiritualium virorum delineabat, vitia vnum post aliud vincere, & virtutes, vnam post aliam exercere, vt ex eo iusti non tantum substantiam suorum bellorum, sed & bellandi modum addiscerent. Primo de gula tentatur, vt Augustinus & Gregorius annotarunt, vt secundus, & celestis Adam in remedium primi & terrestis Adæ, eadem bella gula, inanis gloriæ & auaritiæ sustineret; & quæ istum vicerunt, ipse vinceret: audiuitque à diabolo: Dic vt lapides isti panes fiant.] A gula autem tentatus, gulam superauit, & abstinentiæ virtutem exercuit, magnum ieiunium quadraginta dierum adhuc protelans. Deinde inanis gloriæ telis impetitur, illis verbis: Mitte te dorsum; & tunc inanem gloriam irrisit, & virtutem humilitatis in actum proferens, ab occupatione vani honoris abstinit. Demum illum aduersarius cupiditate diuitiarum aggreditur: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me: & pro patris amore ac reuerentia fordidam cupiditatem abiicit, & paupertatem, visibilium opum contemptum, est amplexus. Quænam fuit causa Domino horum specialium bellorum? Ea profecto, vt nos disceremus pugnare, & vnum vitium post aliud ad pugnam accersere, & vnam virtutem post aliam exquirere. Ille antea est præliatus, inquit Ambrosius, vt vinceret: non quod ipse egeret certamine, sed vt nobis formam bellandi antè præscriberet, & postea daret gratiam triumphandi.] Formam ipse ac rationem pugnandi præscripsit, non tantum in eo, quod vitia nos impugnantia detexit, & modum resistendi, ac sanctarum scripturarum ad obliuendum demoni vsum aperuit, sed in hoc etiam, quod bellum hoc quasi per partes suscipiendum esse monstrauit.

Huius autem rationis pugnandi, & virtutes acquirendi ordinem, à Domino in sua tentatione patefactum in tempore veteris legis, quando omnia ad figuram Ecclesiæ, & eruditionem nostram continebant, adumbratum esse competimus. Nam iter illud ab Ægypto vsque ad terram promissionis, in quadraginta duas mansiones diuisum est, vt ex libro Exodi & Numerorum constat; quo hæc ars præstantissima proficiendi signatur. Per has enim mansiones, vt ait Isidorus, currit Hebræus, qui de terra festinat transire ad cælum, & Ægypto huius sæculi derelicta, terram promissionis ingreditur.] Iste quidem mansiones varios gradus profectus animæ variisque virtutes significant. Et sicut in qualibet mansione populus per aliquod tempus quiescebat, & post quietem ad aliam ex ista transibat: ita & nobis in adeptione cuiusque virtutis pausandum est, & per aliquod tempus cum opposito vitio singulariter decertandum, & virtutis illius actibus insistendum, vt ex ista ad aliam virtutem transitus fiat. Si ille populus voluisset sine vlla intermissione & ordine totum illud fatis longum iter conficere, & se voluntati Domini, cum dicentis, opposuisset, post paucos dies prælassitudine à labore ambulandi cessasset. Sic omnino euenit his, qui absque ordine & modo viam spiritus ambulare constituunt; quia citissime fatigantur, & omnia simul apprehendentes, nihil astringunt. Clarius autem in ipsa expugnatione terræ promissæ, & gentium eam habitantium delectione, hic modus proficiendi figuratus est. Sic quippe dixit Dominus ad populum suum: Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris; eunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. Non

A ciuicium eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestia. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec aueraris, & possideas terram.] Et alio loco Moyses ait: Ipse Dominus consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes.] Quæ verba de modo, quo pugnandum est contra vitia, intelligenda esse supra ex Cassiano didicimus. Si autem vitia paulatim extinguenda sunt, etiam virtutes, vna post aliam sunt inferendæ, quia non aliter illa recedunt à nobis, nisi in locum illorum fuerint ista successæ. Ad quod confirmandum egregie venerabilis Beda ait: Quod verò istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur. Habet enim vnumquodque vitium, in corde nostro, propriam stationem: sed si cum spiritualibus populis, id est, virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum, quem sibi in corde nostro conceperunt, vel fornicationis spiritus, retinebat, deinde castitas obtinebit; quem furor ceperat, patientia vindicabit. Quem tristitia morte operante occupauerat, incipiat excludere fortitudo salutaris, & plena gaudij lætitiâ possidebit. Quem acedia vastabat, incipit excolere fortitudo. Quem superbia conculcabat, incipit excolere humilitas. Et ita singulis vitiis expulsis, coram loca, id est, effectus contrarios possidebunt filij Israël, id est, animæ videntes Deum.] Dominus itaque expellit hostes nostros paulatim atque per partes, & eicit eos à facie nostra, non anno vno, sed multis annis, siue temporibus, non solum quia successu temporis ipse nos perficit, sed quia vult vt prudenter nos cooperemur nostro profectui, & nunc ex professo vnam virtutem, nunc aliam addecamus: nunc vnum vitium, nunc aliud singulariter dissipemus. Quare vnicuique iusto aptissime conuenit illud sapientiæ, quod ad litteram dictum est de Iacob: Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.] Nam quoniam, rogo, sunt hominis inimici, qui seductores, nisi vitia eius, quæ ostensione voluptatis, aut rerum visibilium ipsum decipiunt, & in eius mortem exitiumque conspirant? Ab his ergo profugum iræ fratris sui, id est, iustum ab operibus, & consuetudinibus veteris hominis fugientem Dominus mirè custodit & tutat. Sed quomodo custodit? Offerens quidem illi certamen forte, vt quemadmodum Iacob cum vno Angelo, & ita ipse cum vna tantum virtute luctetur, quam non ictibus, non vulneribus; sed precibus, sed desiderijs, sed gemitibus, sed assidua exercitatione superare decernat. O certamen forte, quo homo virtutem insuperabilem vincit, ideo tamen vincit, quia ipsa vult vinci, & à luctante & laborante possideri! O certamen forte, quo iustus cum vna virtute decertans, nescio quo pacto, omnes possidet, quia dum hanc exercet, ad omnes se facilius sentit! O certamen forte, quo dum vni tantum vitio per vnam virtutem bellum indicit, vniversis vitiis timorem incutit, & omnia terrore à se propellit! Verè cognoscit, quod omnibus hominibus potentior est sapientia. Nam homo fortis & validus, si vnum ex suis hostibus visibilibus vincit, non statim omnes vincit, sed potest tanto facilius, quanto est magis fatigatus, ab alio hoste superari. At iustus experitur in se fortitudinem diuinæ sapientiæ, quoniam dum ea adiutus vni vitio ex professo se opponit, & vnam virtutem singulariter quaerit, omnia vitia occulta quadam, & nunquam satis bene verbis explicata ratione prosternit.

Est itaque hoc virtutis assequendæ instrumentum.

Deut. 7. 22.

Cassian. coll. 5. ca. 14.

Beda 99. in Deut. cap. 16. To. 8.

Sapient. 10. 12.

Gregor. hom. 15. in Euañg.

Matth. 23.

ibid. n. 6.

n. 9.

Ambrosii de Helia. c. 1.

Isidor.

Exod. 23. 27. 29.



supra lib. 6. p. 2. c. 2. remedio 8. Cassian. col. 5. cap. 14.

Chryso. hom. 28. ad popul. Anioch. To. 5.

Basil. reg. 6. suis suis disp.

rum, à Domino per figuras, & imagines, & postea suo exemplo demonstratum. Non quia ipse de nouo aliquam virtutem adquisierit (vt iam diximus) sed quia in pugnis suis modum nobis ac rationem certandi præscripsit. Hic autem modus pugnandi contra vitia, & virtutes acquirendi, patres antiquos non latuit. Cassianus enim, quem supra retulimus, illum manifestè docuit: qui & ea ratione validissima ad eius usum nos mouet, quòd dum vnum singulare vitium prosternimus, ad alia vincenda efficiamur robustiores. Eius verba sunt: Quia & mens triumphorum processu redditur fortior, & infirmior pugna succedens promptiore ei prouentum faciet praeliorum, vt fieri solet ab his, qui coram regibus mundi huius omnigenis congregi bestiis præmiorum contemplatione consuerunt. Hi, inquam, feras quascumque fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas, quæ minùs terribiles minùsque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitiis semper robustioribus superatis atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque vllò discrimine perfecta victoria.] Hæc ille. Ioannes etiam Climacus in illa sua scala caelesti, gradu de Castitate, idem instrumentum disertis verbis explicuit. Is, ait, qui se vno quodam vitio amplius vigeri conspicit, contra ipsum & solum ante omnia seipsum armet, & maxime si hostis intentus sit. Nisi enim iste profligatus fuerit, nihil nobis reliquos vicisse proderit. Cùm verò Ægyptium hunc nos quoque percusserimus omnino, Deum in humilitatis rubo intuebimur.] Chrysothomus verò aduersus iuramenta scribens, non tantum hanc curam, siue particulare examen docet, sed & modum faciendi docet, & oculis ipsis spectandum proponit. Sic enim ait: Si verò post hæc dicas, quòd est difficile consuetudinem non fallere, vehementer quoque studentes, hoc fateor quidem & ego. Veruntamen & illud cum hoc pariter dico, quòd sicut est facile decipi, sic & facile corrigi. Si namque domi multos tibi custodes constituas, putà seruum, vxorem, amicos, ab omnibus facillè compulsus atque coactus, à mala recedes consuetudine. Et, si decem tantum diebus id obseruaueris, non iam amplius reliquo tempore indigebis, sed cum fiducia totum erit tibi repositum, pulcherrimæ consuetudinis firmitate vicissim radicatum. Cùm igitur hoc corrigere cœperis, siue semel, siue secundo, siue tertio, siue vigesimo legem transcendis, ne desperes, sed iterum surge, & studium tuum resume, & omnino victor eris. Quin & Basilii eiusdem instrumenti est ad superandum vitium, & assequendam virtutem, assertor, cuius hæc est oratio. Non mediocri autem hoc eget contentione, vt consuetudinem suam aliquis peruincat. Consuetudo enim vetustate firmata, naturæ vim solet nancisci, & contractas ex superioribus peccatis labe, oratione assidua & perpetua, Dei decretorum conseruatione abstergere poterimus. Eam autem nullo modo licebit euincere, si multa hinc inde habeamus, quibus temerè huc illucque animus noster distrahatur, & vitæ huius negotiis implicetur.] Iam vides à Patribus istis curam hanc particularem, atque peruiabilem, vnum vitium prosternendi, & in aliquo defectu se emendandi, fuisse manifestè conscriptam & vtilissimam reputatam. Nam & validum armorum genus est, ad vnum aliquem ex animæ hostibus superandum, etiam si per multum tempus nos suo dominatui subiecerit: quo victo ad alia subigenda redditi sumus animosiores. Nam sicut vnum lucrum spem alterius maioris generat, & concepta spes

A ad maiores opes negotiationi exponendas roborat: ita vna victoria parens est maioris fiducia, qua aduersus vitia remanentia confurgimus. Ille verò Deus fidelis & verax, qui non spernit sperantes in se, non patietur nos pro defectuum nostrorum victoria, & pro virtutum assequutione perseueranter laborare, & sine fructu desiderato permanere. Vnde sicut qui in longinquam regionem est peregrinaturus, & per multas ciuitates, & oppida, vsque ad finem itineris transiturus, vt facilius & efficacius viam peragat, in proximam urbem sibi tantum veniendum esse constituit, & cum ad eam peruenerit, aliam subsequentem sibi vt finem proponit, & postea aliam & aliam, donec omnes absoluat: ita qui vult arcem perfectionis tenere, debet prius in vnus vitij impugnationem, & vnus virtutis assequutionem oculos mentis intendere; & postea suo ordine in aliam & aliam, donec omnes virtutes obtineat, & ad puritatem mentis perueniat. Vnam enim, aut aliam virtutem acquirere, & vnum aut aliud vitium euertere, pugnare est: omnes autem virtutes acquisuisse, & omnia vitia destruxisse, vincere est. Quare Augustinus ait: Bene vincere hoc est, vniuersas machinas diabolicas vincere. Illecebras dum ministrat, vincitur per continentiam: pœnas & tormenta infligit, vincitur per patientiam: errorem suggerit, vincitur per sapientiam. Ad extremum cùm omnia eius victa fuerint, suggerit animæ superbiam, inquit: Euge, euge: quantum potuisti certare? Quis tibi comparatur? Quàm bene vicisti? Respondeat illi anima sancta: Confundantur, & reuertantur, qui dicunt mihi Euge, euge.] Quando ergo vincit, nisi quando dicit: In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, & latentur.] Hæc ille.

Iam an sint alij, qui huius instrumenti meminerint, inuestigare prosequamur. Eius meminit Dionysius Richelius, qui quodam loco sic inquit: Quicumque autem cupit Deo placere atque proficere, contra illa vitia, ad quæ ex naturali dispositione, aut praua consuetudine pronior est, debet specialius, fortius ardentiusque pugnare: Deum pro adiutorio iugiter vocando. Et alio loco sic ait: Insuper iuxta præhabita diabolus vnumquemque ex ea parte magis impugnat, in qua minùs inuentus est armatus, hoc est, de vitiis illis, ad quæ ex complexione, vsu, societate, aut occasione est pronior: idcirco requirit prudentia, vt vnusquisque volens saluari, illis virtutibus se potissimè studeat præmunire, armare, confortare, perficere, ad quarum contraria vitia procliuorem se inuenit. Hinc cholericis ad iracundiam proni, specialissimè debent niti ad mansuetudinis incrementum, atque ad plenam totius iræ & impatientiæ extirpationem. Sanguinei ad carnalitatē refranationem: Melancholici ad inuidiam & rancorem procliuēs, ad charitatis & pietatis sinceritatem: Phlegmatici tristes ad spirituale lætitiā. Ac tandem Thomas à Campis, vir piissimus, huius particularis curæ mentionem fecit, dicens: Si omni anno vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficiemur. Sed modò contrarium sæpe sentimus, vt meliores & puriores in initio conuersionis nos fuisse inueniamus: quàm post multos annos professionis.] Quid enim aliud est singulis annis vnum vitium excindere, nisi per aliquod tempus pro eius impugnatione, & pro virtutis contrariæ acquisitione specialiter laborare? Si ita in curando mentis defectu nos habetemus, absque dubio breui tempore euaderemus perfecti. Nam vno vitio planè excisso, & vna virtute perfectè plantata, reliqua vitia remitterentur, & reliquæ virtutes roborarentur, & facillè iustus victis omnibus

Aug. ser. 2. de S. Victio.

Psal. 39. 11. 16.

Psal. 33. 3.

Dion. lib. de vita viduar. 10.

Idem li. de rem. tentat. ar. 27.

Thom. à Camp. li. 1. de imitar. Chri. sti. c. 11.

fuis

17. c. 19.
suis horticibus, & virtutibus conquiritis, ad perfectionem ascenderet. Et alio loco clarius ait: Conemur quantum possumus, ad huc leuiter deficiemus & in multis. Semper tamen aliquid certi proponendum est, contra illa precipue, quae amplius nos impediunt. Vt scilicet illa maiora nostri profectus impedimenta dissipemus.

Est denique hic modus proficiendi tam patens ac manifestus, vt gentiles Philosophi, sola naturali ratione ducti, illum ad emendationem animae vtilissimum esse cognouerint. Ex his duo tantum sabuciam. Alter sit Seneca, qui ita scribit: Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem. Natura patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius: vt consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstisti? Qua parte melior es? Defineta, & erit moderatior, quae sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus, ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui, censoris secretus cognosceret de moribus suis? Vt hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea rememtor. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possum dicere; Vide ne istud amplius facias, tunc tibi ignosco? In illa disputatione pugnaui locutus es. Noli postea congredi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt, illum liberius admonuisti, quam debeas, itaque non emendasti, sed offendisti. De caetero vide, non tantum an veram sit, quod dicis, sed an ille cui dicitur, veri patiens sit.] Haec Seneca. Alter sit Galenus, cuius sensum non possumus ad verbum scribere, quod latius se diffundat: sed in summa haec dicit: Qui vult itam frenare, & prauas concupiscentias colubere, cum surgit e lecto, diligenter inspiciat quid acturus sit, quantum referat, non seruire affectibus, sed in omnibus ratione & consilio vti, itaque apud semetipsum toto die conuersari statuat. Vespertinis horis, antequam cubitum eat, eadem repetat, seque discutiatur, videatque num more canum se auidissime cibis impleuerit, & quemadmodum illi, qui ardentissima febre aestuant, frigidam portionem exhauserit, aut potius, vt decet virum grauem, & cultu ac reuerentia dignum se gesserit. Praestabit hoc saepius quam matutinis & vespertinis horis agere. Et ego, inquit, olim monita haec, quae quasi Pythagora auctore circumferrebantur, consueui primum quidem legere bis singulis diebus, post vero etiam ore pronuntiare. Non despondeat animum, licet se iam senem videat, nam senes, corporis inueterudinem incurrentes, nequam de acquirenda sanitate desperant, sed quicquid possunt, faciunt, vt se ad pristinam incolumitatem, vel ad aliquem gradum eius restituant sic protus in quacumque aetate, non est de animi salute desperandum, nec quia omnino nos emendare non possumus, emendationis saltem aliquantulum abiciendum. Nec quia aliquis non possit ad summam virtutem peruenire, debet ab eius studio cessare, quia licet non summum sit, at magni pretij est quidquid virtutis, & moderationis acceperit. Etenim si antequam existeremus, fuisset in nostra potestate continere illum, qui prouidebat, vt nasceremur, & primo

Senec. li. 3. de ira. c. 36.

Galeni. de curan. animi mor. lib. c. 3. 4. 5. 6.

A quidem orantibus nobis, vt corpus strenuissimum generosissimumque ab illo liceret accipere, ille denegasset, tum profecto peccati essemus, vt secundo saltem gradu, aut tertio, aut etiam quarto, proximum primobona habitudinis corpus nobis concederet. Itaque si Hercules non potuissimus, at Achilles, accipere praclarum quiddam, nobis visum esset; quod si non huius, at Aiakis, at Diomedis, at Agamemnonis, at Patroclis: si ne horum quidem, at saltem aliorum quorumpiam Heroum praestantium. Eadem, vt at bitror, ratione, si quis supremam nequeat animi excellentiam obtinere, at saltem post supremos illos sapientes, in secundis, aut tertiis, aut etiam quartis se haberi non recuset. Hoc autem, quod dico, non eiusmodi est, vt fieri non possit, si modo quis exercere seipsum velit, & longiori tempore, assidua exercitatione periculum facere. Amicum quarat hominem prudentem, vendicium, integraq; vitae, qui ipsum de suis defectibus admoneat, quem vitia increpantem placide & libenter audiat, vt liberius deinceps quosque defectus obicere fructuose, & increpare possit. Concludit tandem, quendam amicum patria Gortinensem alloquens: Tu, si ita feceris, quamuis non multo fias melior, at satis fuerit, anno vno in melius saltem paululo esse prouectum. Nam si perges constanter resistere affectui, iracundiamque mitigare, tum altero anno te multo evidentius profecisse animaduertes. Quod si in eo diutius perleueraueris, vt tibi ipsi prouideas, longè propius tertio, & post hunc quarto, atque item quinto ad honestius grauisque vitae genus accessisse te senties. Haec omnia Galenus in variis locis illius libelli de dignoscendis curandisque animi morbis. Tanta est enim veritatis lux, vt etiam longè a Deo positus splendear, & eos minime sui leuios esse sustineat. Ideo autem auctor iste non audeat sic laboranti ommodam emendationem promittere, quia gratiam, nesciens, & naturam humanam in se & in aliis imbecillitatem considerans, difficillimum putauit, si non impossibile, tantam hominis infirmitatem erigere, & tam pessimos affectus emendare. Nos vero, qui Domini beneficium gratiam cognoscimus, & auxilij diuini naturam iuuantis robur experimur, quam in multis iustis, oculis vidimus, & manibus contrectauimus, strenue laboranti perfecta emendatione pollicemur. Scimus enim, quod si potens fuit Adam ad perdendum, potentior est Christus ad saluandum: & quia, [vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia,] vt facile illos perficeret, quos delictum a perfectione deiectos in barathrum vitiorum exturbauit.

Rom. 5. 20.

De Particularis cura siue examinis necessitate.

CAPVT VII.



E

ON est ergo res noua, particularis haec cura, siue conscientiae specialis examinatio, quam Saluator noster sub imagine suorum praefiorum expresse, quam sacrae litterae docuerunt, multi Ecclesiae Patres tradiderunt, & Gentiles Philosophi non ignorarunt. Aded vt de illa, cui nomen nouum & minus vltatum indidimus, dicere illud Salomonis possumus: Nihil sub sole nouum, nec valet quicquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos. Nunc huius iustitiae ingens necessitas aperienda est ad vitiosas af-

Eccel. 1. 10.

fectio

fectiones cohibendas & virtutes inferendas, ex cuius inspectione maior sollicitudo eius exercitationis accedet. Hanc quidem specialem pugnam, qua aduersus vnum aliquod vitium pugnamus, & vnam aliquam virtutem obtinere nitimur, admodum necessarium esse, vires ipsæ nostræ satis manifestè persuadent. Habemus namque vires satis infirmas, aut potius ad eò infirmi mente & imbecilles sumus, vt vix infirmis hostibus resistamus. Vitia verò, quæ nos oppugnant, numero sunt multa, & viribus nimis fortia atque robusta. Melius est ergo atque prudentius, singula seorsum aggredi (nam quodque per se sumptum, minoris est fortitudinis) quàm aduersus omnia vna congressionem pugnare. Nonne si vnus homo ægrotus esset cum multis militibus sanis & validis pugnaturus, magis eligeret, vnum post alium inuadere, quàm omnes simul sibi resistentes adorti? Et tu, ò homo, mente æger es, vitia verò, quæ te perdere moliantur, valida sunt, quare aduersus omnia vno impetu pugnas, & non magis ad singulare certamen vocas, & vnum post aliud debellas? Annon pars es, & quasi membrum humani generis? Sed vide quid de eo dicat Augustinus: *Ægrotat genus humanum, non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto terrarum orbe ab oriente vsque in occidentem grandis ægrotus. Annon in teipso has ægitudines sentis, de quibus idem sanctus Pater alio loco ait: Nihil infirmius anima nostra, posita in medijs tentationibus sæculi, in medijs gemitibus & parturitionibus molestiarum: nihil ea infirmius, donec hæreat sodalitati cœlesti, & sit in templo Dei, vnde iam non cadat.* Annon multa intra temetipsum aduertis, quæ pro vitijs militant, & aduersus bona desideria decertant? Quæta sunt, quæ te à cæpro reuocant? quanta à vitæ sublimitate detorqueant? quanta virtutis iter impediunt? Quam numerosa turba phantasmatum perstrepat? quam copiosi populi suggestionum clamant, & te à virtutis amore retardant? Iam verò quanta sunt vitia, quorum hoc vnum munus est, hominem mille artibus perdere, & virtutum excidium meditari? Quam armata, quibus affectus ipsi humani sunt arma, nam proprijs nos affectibus feriunt? Quam robusta, quæ inueterata consuetudine delinquendi supra nostros conatus inualescunt? Neceffe est ergo tibi infirmo, & aduersus numerosum exercitum pugnantem, eum per partes aggredi, vnum hostem post alium impetere, & non simul omnes velle destruerre. Et erunt reliquæ Iacob, id est, iusti, inquit Micheas, in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. Nunc si per multos populos, multitudinem vitiorum intelligamus, quæ in mentem nostram grassantur, & omnia bona deuastant, quid erit, iustos esse instar rotis, & instar stillarum, terram irrigantium? nisi quoddam sicut ros, & stillæ paulatim in terram cadunt, & successu temporis eam herbis & floribus vestiunt, & sterilitatem ac ariditatem pellunt: ita iusti successu temporis se ab ariditate vitiorum liberant, & nunc vni virtuti, nunc alijs studentes, tandem omni virtute se circumdant? Et erunt reliquæ Iacob iisdem, scilicet iusti in medio populorum, in vitijs nempe, à quibus impugnantur, quasi leo in iumentis sylvarum, & quasi carulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, & conculcauerit, & ceperit, non est, qui eruat. Vt quemadmodum leo gregem ouium inuadens, hodie vnam rapit, & deuorat, & cras aliam, & consequenter, nisi impediatur, reliquas, donec omnes occidat: ita qui famem suæ salutis &

A perfectionis habet, nunc vnū vitium dissipat, nunc aliud: nunc vnam virtutem sectatur, nunc aliam; quousque vitia vniuersa destruat, & virtutum cibo sua fami satisfaciat.

Petit itaque hanc particularem curam infirmitas virium nostrarum, quæ simul in omni bonorum genere operari non valet, petit etiam ipsa natura vitiorum atque virtutum. Vitia enim sunt consuetudines malæ, affixæ intellectui, aut voluntati, aut appetitui, multis actionibus: & virtutes sunt consuetudines bonæ, affigendæ eisdem potentis multis bonis operibus. Nullus autem sine diligenti & particulari cura se continendi, prauam consuetudinem ablegabit, nec sine magna sollicitudine bonam consuetudinem induet. Consuetudo ab Augustino dicitur secunda, & quasi affabricata natura. Quis autem poterit vnam naturam exuere, & aliam omnino contrariam induere, nisi in hoc sollicitam curam constituat? Tractat optimè idem Augustinus, quomodo sit vincenda praua consuetudo, explanans illud Iacobi: Ante omnia, fratres, nolite iurare. Quod enim dicit de iurandi consuetudine, ad quamcumque aliam vitiosam potest extendi. Quid est, inquit, ante omnia? Præ cæteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto, quàm ad alia. Maior consuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei leuis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuæ imperares, ne faceret: si pedibus aliquod eundem esset, pigritia retardante, excitates te, vt surgeres, & ires: lingua facilitatem habet motus, in vdo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius & facilius mouetur, tanto tu aduersus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis: vigilabis, si timebis: timebis, si Christianum te esse cogitaueris. Similiter ex Hieronymo discimus, quomodo sit bona consuetudo querenda. In omnibus, inquit, mundi studiis, protectu non sapiantur homines, in virtute tantum cœpisse sufficit? Feruentissimi in terrenis, frigidissimi in cœlestibus sumus, & summam in rebus parvis cohibemus alacritatem, ad maiora torpescimus, considerare pudet, quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur: litterarum ardor nulla prorsus ætate extinguitur, immò, vt secularis auctoris vix sententia, ipsa magis ætate inflammatur: diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupidus, ceptem habitura res finem sine fine quæruntur, nos diuinam sapientiam, cœlestes diuitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus, & spirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continud nos putamus esse satiatos: aliter nos diuina sapientia ad suas inuitat epulas. Qui edit me, inquit, adhuc esuriat, & qui me bibit, adhuc sitiet, nullus vnquam talibus explentur epulis, nec aliquando patitur de satietate fastidium: tanto vnusquisque capacior, tanto auidior erit, quanto inde plus hauserit. Dominus in Euangelio: Beati, ait, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Vult enim nos esuriere hic semper, ac sitire iustitiam, vt in futuro iustitiæ retributione satiemur: consideranda vis ipsa verborum est, & ita nobis desideranda est iustitia, vt in fame vel in siti cibis desideratur ac potus. Hæc ille. Tantus conatus, tanta sollicitudo necessaria est ad quodlibet vitium destruendum, & ad quamlibet virtutem assequendam. Non ergo oportet, confusè & quasi in generali hoc opus assumere, sed sigillatim & specialiter ad euerionem cuiusvis vitij, & procreationem cuiusque virtutis aspirare. Oportet enim vt in curanda salute

Aug. ser. 39. de verb. Dom. To. 10.

Idem ad Pf. 122. To. 8.

Michea 5.7.

Ibi. n. 2.

Aug. lib. 6. Musica cap. To. 1.

Iacobi 5. 12.

Aug. ser. de verb. Apost. 1. 11.

Hier. in epist. ad Deme. rriadem, To. 9.

Ezech. 24. 29.

Matth. 5. 6.

& per

Lucæ 13.
32.Aug. lib.
2. de con-
sen. Euæ.
gela. 75.

& perfectione nostra, medicum animæ morbis medentem imitemur, qui de se ait: Ecce eicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Ipse, vt interpretatur hunc locum Augustinus, prima die dæmonia eicit, cum homines per fidem à variis superstitionibus liberat. Secunda die virtutes perficit, cum eosdem homines in obseruatione mandatorum promouet. Tertia die consummatur, quia in membris ad perfectionem Angelicam peruenit. Si ille, qui omnipotens est, & vno temporis momento potest summam sanctitatem inducere, paulatim & per intervalla temporum iudicat esse faciendam; quid nos, qui non tam infirmi, quam ipsa infirmitas sumus, omnem virtutem simul addiscere volumus, & temerario ausu, quæ ordinem petunt, sine vilo ordine lucrari præsumimus? Non est discipulus super magistrum, nec debet homo infirmus, quasi moræ impatiens, simul omnia aggredi, quæ viri perfecti solent paulatim & per partes addiscere.

Hinc autem colligitur tertia causa huius necessitatis, particularis curæ in vno aliquo vitio extinguendo, & vna aliqua virtute acquirenda collocandæ. posset quippe aliquis dicere, Verum quidem est, quod vires hominis sunt exiguæ, & satis angustis limitibus circumscriptæ: verum etiam est, quod vitia & virtutes, tanquam malæ aut bonæ consuetudines, non possunt nisi speciali cura, & iteratione multorum actuum, aut euelli, aut plantari. At cum hoc opus non tam sit industria nostræ, quam gratiæ Dei, cuius potentiæ nullus est finis, non videtur hæc regula, quæ in artibus humanis vtilis inuenitur, in virtutum adeptione seruanda. Immo sicut natura adiumento medicinæ successu temporis morbos pellit, & sanitatem restituit, Deus verò vnicuique temporis momento vtrumque facit, & ægritudinibus depulsis miraculosè sanitatem impertit: ita humana industria seorsum quamlibet artem & scientiam addiscat, donec omnes teneat: at gratia, quam infinita Dei potestas mouet, vno momento nos ad omne genus virtutis prouehat, & omnem simul perfectionem efficiat. Hæc persuasio inanis est, & potius oppositum est ex diuinæ prouidentie suauitate inferendum. Licet enim Deus possit repente hominem in magnam sanctitatem extollere, quod & aliquando fecit, vt quando Magdalena peccata remittit, & latroni in cruce pepercit, & Paulum ad se conuertit; tamen non decet vt semper id faciat, & naturæ nostræ, ex vno ad aliud procedentis, conditionem mutet. Est Deus naturæ amator & conditor, quam non vult sine occasione alicuius necessitatis inuerrere, & à debito modo propriæ operationis extrahere. Sed sicut rex iudicis à se constituti auctoritatem tuetur, & sententiam ab ipso latam confirmat, nisi aut iniqua iudicetur, aut necessitas eam immutandi ac relaxandi constringat: ita Dominus naturæ à se factæ leges illibatas esse decernit, nisi in speciali euentu instans necessitas contrarium exposcat. Hæc autem est nostræ naturæ lex, vt paulatim proficiat, vt specialem curam & diligentiam ad quodque magni momenti negotium applicet, & vt eo ad finem perducto, vel saltem ex iniitiis extracto, ita vt per se crescere possit, aliud simile promouendum suscipiat. Ergo non decuit, vt Deus semper hanc legem immutaret, sed potius secundum eam suam gratiam impertiens, nos per diuersos gradus ad perfectionem proueheret. Non igitur gratia, & prouidentia Dei erga iustos, eos à speciali proficiendi cura eximit, sed potius ea cura constringit, vt quia naturæ eorum se accommodat, debeant ipsi per gradus proficere, & nunc omnem

A conatum, & curam mentis ad vnam virtutem, nunc ad aliam applicare. Nam & de Dei sapientia dictum est: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Fortitudo eius in hoc est, quod suam voluntatem certissimè impleat, & finem intentum obtineat: suauitas verò in hoc, quod nostram libertatem non lædat, nec naturæ conditionem inuertat. Et Iob de ipso Domino ait: Ipse enim fines mundi intruetur, & omnia quæ sub cælo sunt, respicit. Intruetur, inquam, & respicit omnia singulari quadam obseruatione & circumspectione, vt rerum ordinem intueatur, & sine læsione naturæ earum finem à se destinatum attingat. Ideoque dicitur communiter: Gratia non destruit naturam, sed perficit; quia quod natura per se non potest, gratia facit, vt possit: sic tamen, vt sicut natura esse non definit per hoc, quod à gratia præueniatur & adiuuetur; sic nec modum operandi sibi congruum deserat, nec ordinatum in virtutibus progressum omittat.

B Siue ergo naturæ nostræ vires, siue diuinæ gratiæ adiutorium spectemus, siue vitiiorum & virtutum conditionem inspiciamus, necessaria est particularis erga quamlibet virtutem cura, vt opposito vitio destructo, eam mens nostra conquirit. Dum enim intellectus per aliquod tempus, vnum semper fugiendum proponit, & vnum sectandum esse decernit; dum vnum tantum vituperat, & vnum oppositum laudat; efficacissimè voluntatem ad illud declinandum & istud amplectendum inclinatur. Et dum vnum semper amandum ingeritur, importunitate victa, id ipsum, quod amandum proponitur, amore & desiderio amplexatur. Quantaque sit efficacia vnum intelligendi & voluntati proponendi, perspicitur ex illo, quod de impio dictum est: Noluit intelligere, vt bene ageret. Aduertens namque quod via certissima ad bonum faciendum est, bonum oculis internis videre, hos oculos clausit, ne eum ad bonum faciendum impellerent. E contra verò iustus vnum videt, vnum clamat, vnum sibi faciendum inculcat, vt illud bonum agat, & illo executioni mandato, aliud bonum faciendum assumat. Voluntas etiam, si multa ab ea simul exigantur, quasi impossibilitatem præterit, & tepidè ea aggreditur, veluti de tantorum adimplerone desperans: at si vnum tantum ab illa petas, illud, tanquam possibile, & facile, & suas vires non superans, præstare non renuit. Et dum istud diligenter exequitur, & nullum in speciali materia defectum patrare nititur, quodammodo ab omnibus liberatur. Quemadmodum enim si virgo pulcherrima, & mundiciæ cupidissima, conclaue ingreditur, in quo aliquid immundum & putidum esse coniectat, diligentissimè eius tactum vitat, ne se aut sua indumenta contamine: dum autem hoc vitat, & quasi in eo solo vitando curam suam collocat, omnia etiam alia fugit, in quibus similem aut maiorem esse immundiciam aduertit, & illa vna, & specialis cura in omnibus fecit cautiorem: ita omnino anima iusta, dum specialissimè defectus, verbi gratia, superbiæ aut arrogantia vitat, & oculos aperit, vt hos defectus videat, & declinet, reliquos etiam similes, aut maiores facilè respicit, & ipsis se infici pertimescit. Si verò nullum in speciali vitaret, & nullum peculiariter inspiceret, dum omnes simul defectus, & vniuersa vitia vitare constituit, ad tanta se minus habilem sentiret. Vnum namque ex obstaculis perfectionis est infirmitas voluntatis. Quare Bernardus inquit: Sed heu me, quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta? Obiicit sese malitia mediam, obiicit infirmitas, obiicit concupiscentia, &

Sap. 3. 1.

Iob 28.
24.Psal. 36.
4.Bern. ser.
6. Quæ-
dragas.

ignorant

ignorantia nostra. Sicut ergo aliis impedimentis depellendis congrua remedia quaerimus; ita & infirmitati proprium remedium adhibeamus, necesse est. Illud autem non est aliud quam haec particularis proficiendi cura, ad vnam virtutem & vnum vitium applicata. Medici enim hominibus, stomachum infirmum, & nimis frigidum habentibus, praecipunt vt saepe comedant, & in qualibet vice modicum ingerant, quod modicus ille calor coquere & digerere valeat. Stomachus autem animae, est eius voluntas, qui post casum Adæ, in omnibus filiis eius mansit peccato infirmus & segnitie frigidus. Sape igitur comedat, & semper quod comedit, modicum quid, quod suum calorem non obruat, assumat. Sape comedere, est pro breui tempore aliquid sibi faciendum vel vitandum statuere, & spatio illo temporis elapso, aliud faciendum, vel vitandum accipere, quousque omnia facienda, vel vitanda percurrat. Parum verò comedere, est vnum virtutis actum trahere, vel vnum specialem defectum consumere, nec velle omnes simul deuorare. Si verò ars medicina hoc documentum adeo necessarium esse censet, vt ex eo dicat hominis salutem vitamque pendere: ars spiritus non minori exaggeratione in rebus animæ ipsum necessarium esse praescribit. Quia si paulatim, & per partes virtutem in mores nostros transfundendam accipimus, ea tanquam cibo aptissimo nutritice sustentamur: si autem omnem virtutem simul amplectimur, tanto cibo onerati & oppressi, detrimentum puffillanimitatis & desperationis sustinemus.

*De Particulari cura, suae examinis
multiplici utilitate.*

CAPVT VIII.



EXPOSITA huius instrumenti necessitate ad adipiscendas virtutes, nunc eius utilitates & fructus aperiamus: vt dum eo vtimus, de illorum perceptione gaudeamus, ipsosque decerpere & obtinere curemus. Hi fructus multi sunt & suauissimi: quorum primus est, intima quaedam propria imbecillitatis infirmitatisque cognitio, & bonitatis ac misericordiae diuinæ notitia. Duæ istæ cognitiones Dei & nostri pretiosissimæ sunt, sicut duæ oppositæ ignorantiae perniciosissimæ. De vtriusque hæc ait Bernardus: *Cæterum, si nos ignorantia Dei tenet, quomodo speramus in eum, quem ignoramus? Si nostri, quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid esse, cum nihil simus? Scimus autem, nec superbis, nec desperatis partem esse, vel societatem in sorte Sanctorum. Intuere ergo nunc mecum, quanta cura, & sollicitudine ambas istas repellere à nobis ignorantias debeamus, quarum omnis peccati altera initium parit, altera consummationem: sicut duarum è regione noticiarum, initium sapientiae vna, perfectionem altera gignit; illa timorem Domini, ista charitatem.] Sed quonam pacto ista duplex cognitio ex particulari examine prodit? Ita quidem. Statuisti apud te hodie, cum è lecto surgebas, & statuisti firmissimè, aliquem specialem defectum vitare, aut aliquem actum virtutis oppositum exercere. Hora pomeridiana, cum te examinas, inuenis te bis, aut ter, aut pluries in eum defectum fuisse lapsum, ac virtutis actum in oblati occasionebus à te fuisse contemptum. Quanta infirmitas! Quam puerilis instabilitas! Te ipsum reprehendis, & acriter incre-*

Bern. ser.
37. in
Cam,

Apas, defectus luges, omissiones desles, & iterum vsque ad noctem statuis te diligentissimè custodire. In noctis examine te iterum cecidisse, & fortè grauius comperis, & non stertisse verbis tuis cernis. Quam ridenda leuitas & contemnenda mobilitas! Iterum te ipsum inculcas, iterum luges, & veniam peris: iterum statuis, & sequenti die iterum cadis, & post aliquot dies vix aliquam emendationem reperis. Quam detestanda tepiditas & castiganda procacitas! Si puerum ter, aut quater furatum esse deprehendas, furunculum esse pronuntias, & si postea eum emendatum audias, ac miracula facientem, vix credis, & nunquam opinionem conceptam deponis. Te autem non ter aut quater, sed millies deprehendisti superbia tumidum, aut ita succensum, aut inani gloria distentum, aut alia simili vilitate foedatum, quomodo non te cognoscas, ac vilissimum reputabis, & post longam emendationem, necdum abiectionem tuam cognitionem depones? Fatetur planè Augustinus se hoc modo in sui cognitionem venisse. *Ait enim: Credebam enim me fortè aliquid, cum nihil essem. Dixi, sapiens efficiar, & stultus factus sum. Cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum. Et video nunc, quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere; quia nisi tu, Domine, custodieris ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Sic docuisti me, vt cognoscerem me, quia dereliquisti me, & probasti me, non propter te, quo cognosceres me, sed propter me, vt cognoscerem me. Nam vt dixi Domine, credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me, nec te recipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi, & cognoui, quoniam tu regebas me, & quod cecidi, fuit ex me, & quod surrexi, fuit ex te.] Sic ille. Hac ergo ratione homo se examinans, & frequenter proponens, cognoscit seipsum: cognoscit & Deum. Nam quanta est Dei bonitas, quam ineffabilis misericordia, quam infinita lenitas & benignitas, quæ seruum ita deficientem sustinet, quæ tam ordinariè peccantem patienter expectat, quæ tam innumerabiles casus dissimulat? Quam mirabilis apparet Dominus ei, qui pro tantis defectibus, & delictis, & negligentis, & boni omissionibus, non iram, non indignationem, non pœnas recipit, sed noua dona, ac si diligenter seruisset, noua beneficia, & caelestes consolationes suscipit? Quid iste dicet, nisi quod idem Augustinus, pro amore liquefactus, dicebat? *Gratia tua semper, Domine, & misericordia praeuenerunt me.] De multis namque & magnis periculis saepe liberaisti me, liberator meus: quando erraui, ad vitam reduxisti me: quando ignorauit, docuisti me: quando peccaui, corripuisti me: quando fui tristis, consolatus es me: quando desperaui, confortasti me: quando cecidi, erexit me: quando steti, tenuisti me: quando iui, deduxisti me: quando veni, suscepisti me: quando dormini, custodiisti me: quando clamaui, exaudiisti me.**

EAlter fructus est verissima & profundissima cordis humilitas. Expertus enim homo, quam nihil possit, quam saepe cadat, quam difficulter sua proposita custodiat, quantum à Deo pendeat, quam verè omnia bona, etiam minima, ab ipso procedant, incipit seipsum contemnere, & in infimo loco collocare, & quæuis abiecta & contumeliosa, veluti contumelia dignissimus, sustinere. Si maiores illum aliis postponant; si ad munera maiora non euehant; si ad infima quæque applicent; si stantes ipsum nec laudent, nec amet, nec honorent, non ex indignatione miratur, sed potius libenter hæc sustinet, quia propriis miseris inspiciendis assuetus, se dignissimum

Aug. in
soliloq.
15. 20. 9.

ibid. c. 13.

omni

1. Reg.
14. 17.Alber. li.
de adha-
rēdo Deo
ca. 14.Psal. 93.
17.

omni vilipensione fateretur. Omnia mala & aduer-
sa, quæ Ecclesiæ accidunt, suorum peccatorum cau-
sa venire cogitat, qui homo ingratusissimus, & instabi-
lissimus, & tantis modis à recto deliciens, dignus
est tot malis & aduersitatibus castigari. Quin & si-
bi usurpat illa verba Davidis: Ego sum qui pec-
caui, ego iniquè egisti, qui oues sunt, quid fecerunt?
Vertatur, obsecro, manus tua contra me.] Siue ergo
homo cadat, siue non cadat: siue à suo proposito
deficiat, siue non deficiat, semper materiam proprie
deiectionis & vilipensionis habet. Si enim cadat, le-
ob peccata & casus despicit, quibus à proposito de-
uauit: si verò non cadat, ex aliis casibus sibi nunc
diuinum auxilium, quod efficaciter iuuat, præsto
fuisse cognoscens, ob ipsa, quæ non sibi sed Deo tri-
buit, bona gesta contemnit. Alios magni reputat,
quia non eorum defectus, sed virtutes considerat;
& è contra proprios defectus semper exequens, se-
ipsum honorum cōsortio sentit indignum. Magnus
quidem Albertus, hunc esse fructum exānis, &
huius assidue cognitionis propriorum defectuum,
manifestè pronuntiat. Ita ille scribit: Semper er-
go præ oculis tuis habeas mala tua, & inidoneitatem
tuam, & cognosce te, vt humiliaris, & tanquam pec-
plema indignissimum, vilissimum, abiectissimum-
que ab omnibus haberi non refugias, propter gra-
uissima peccata & maxima mala tua. Quæ de re repu-
ta te inter alios, vt leoniam inter aurum, zizaniam
inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oues,
Sathan inter filios Dei. Sed neque velis reuereri ab
aliis, aliisque præferri, immò potius toto corde &
spiritu fuge virus huius pestilentia, venenum ludis,
reputationem iactantia & ostentationis, ne videli-
cet iuxta prophetam laudetur peccator in desideriis
animæ suæ.] Sic ille. Qui autem nunquam se cor-
am se ipsis statuunt, nec in rebus particularibus,
quas toto conatu aggrediuntur, suam imbecillita-
tem aduertunt, facile in sui æstimatione decipiuntur,
& putant falsò se aliquid posse, quia minimè
cum aliquo hoste in arenam descenderunt, nec prop-
riam instabilitatem & infirmitatem experti sunt.
Alios in grauissimis occasionibus deficientes dam-
nant, & durè admodum aduersus illos insurgunt, &
se illis à talibus occasionibus liberos in quibus tur-
pius cecidissent, anteponunt, quia ad propriam
cognitionem cæci, suos frequentissimos casus in rebus
leuioribus, quorum se illis occasiones offerunt, non
respiciunt. Magnum ergo momentum habet ad
veram humilitatem obtinendam, hæc specialis cura
se in aliquo emendandi, quæ homo suam imbecil-
litatem quasi manu tangit, & dum vincit, non sibi,
sed Deo victoriam ascribit. Is efficitur Deo gratus,
si eius beneficio sit in aliquo statu, à sæculi occa-
sionibus elongato, securus. Nam si hic, inquit,
vbi tantæ sunt occasiones proficiendi, vbi tanta,
quæ me ad res cœlestes impellant, vbi tam pauca,
quæ à Deo retrahant, sic frequenter & in rebus
minimis cado, quid mihi accidisset, & quam enor-
miter cecidisset, si in sæculo positus, aut in tali
& tali occasione constitutus, me diabolus de ma-
gno aliquo peccato tentasset? Verè: Nisi quia
Dominus adiuuit me, paulo minùs habitasset in
inferno anima mea.] Nisi tu Domine, misericordi-
ter iuuiasses me, nisi me ab Vr Chalæorum edu-
xisses, & à peccandi occasionibus liberaasses, gra-
ui peccato denictus, à te vtiq; defecissem. Nam
quomodo ab vnguibus diri leonis, si irruisset, ma-
nerem illæsus, qui morsu culicis sui in tentationem
impulsus?

Tertius fructus, est celerius menti adueniens o-

A prata puritas. Videretur quidem qui hac ratione vir-
tutes adipiscitur, ambages in vita spiritali quærere,
& viam intrare longissimam, at re vera non viam
longam, sed compendium ingreditur. Ille enim
per ambages vagaretur, qui volens domum ædifica-
re, simul & fundamenta iacere, & erigere parietes, &
tecto parietes necdum factos aperte intenderet,
quia post multum laborem, non ædificaret do-
mum, sed ridiculè tempus insumeret. E contra ve-
rò ille viam compendiarium in domus extructione
tenet, qui prius rudera & terram mobilem egerit,
& postea super firmam petram fundamenta iacit,
& deinde parietes cœnaculorum & cubiculorum
erigit, & tandem tectum superimponit: quia post
aliquod tempus intemptum, domum, in qua ad mul-
tos annos habitet, ædificatam reperit. Nos autem
suprà ostendimus, spiritaliter vivere, nihil aliud ef-
se, quam domum amplissimam sanctitatis Deo in
nostis cordibus ædificare. Compendium ergo erit,
non omnia simul velle construere, sed paulatim &
per partes in hanc ædificationem incumbere. Ad-
uerte nunc, quam citus sit per hoc compendium ad
perfectionem aduentus. Dum enim ex professo
vnum defectum fugis, sepe quotidie illam, quam
Paulus vocat [circumcisionem cordis in spiritu], sci-
licet mortificationem interiorum, exeres. Hec in
vna materia, toties in opus assumpta, cor domat, &
purgat, & ad alias similes abnegationes parat, & vni-
uersos affectus mortificat. Nam sicut ablata aqua,
quæ herbæ rigantur, statim flaccescunt atque siccantur:
sic abnegata in hoc & in illo propria voluntate,
quæ affectus rigat, omnes illi paulatim arescunt.
Dum vni virtuti studes, vniuersis studes, quoniam
(vt suprà ostendimus) connexe sunt, & quasi an-
nuli vnius catenæ, inter se inuicem colligata. Vnde
sicut cum vnum accipis anulum catenæ, omnes
trahis: ita dum vnam humilitatem, vnam obe-
dientiam acquisis, quodammodo omnes acqui-
ris. Quæ enim ratione obedies, nisi te humilies, &
aliis submittas: nisi in difficilibus, quæ tibi sunt in-
iuncta, patientiam habeas: nisi prudenter obedien-
di impedimenta submoueas: nisi te à faciendis pro-
pria voluntate contineas? Hæc pia cura occupatus,
cum te ipsum colligis, & orationi aut meditationi
vacas, illius defectus vitandi, aut virtutis acqui-
rendæ desideria sentis; & dum postea illa executio-
ni mandas, discis, Deo inspiranti obedire, & ad
alios instinctus recipiendos, & ad gratiam ad illa
exequenda necessariam te disponis. His autem
omnibus generatur animæ puritas, & perfectio
procreatur, & mens tua vni insistentis, in omnibus
proficit, & ad perfectionem magis ac magis augen-
dam, diuinum auxilium promeretur. Primus hu-
mani generis parens vnum Domini præceptum
fregit, & ex illa transgressione rebellionem aduer-
sus omnia, & difficultatem omnis legis seruandæ
conquisiuit. E contra Abraham in vno, nempe in
immolando filio, se subiecit, & in omnibus est be-
nedictus & copiosissima posteritate ditatus. Ita si
in vno, aduersus quod bellamus, vicio, aut de-
fectu vincimur, comparatione aliorum pusillani-
mes efficiamur: si verò in illo destruendo, Domino
obedimus, & in nostro immoderato affectu maclan-
do, benedictionem ad maiora consequimur. Pater
David vnum tantum occidit Philistæum; videntes
autè Philistinum quod mortuus esset fortissimus coru,
fugerunt.] Sic propterea dum præcipuum nostrum vi-
tium aut defectum destruimus, omnes alios defectus
quali in fugam se dare compellimus, & quia alij
iam teriti sunt, in vno, quem superauimus, reliquos

Rom. 2.
29.

Gen. 3.

Gen. 22.

1. Reg.
17. 51.

Genes. 7.
26.

quodammodo superamus. Quid dicit de Abraham scriptura? Circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt. Minores multam habent cum maiori cognitionem, vt eius viam exemplumque sequantur. Dum ergo speciali cura præcipuum nostrum affectum circumcidimus, non mirum, si reliquos vel ex naturali propensione habitos quasi dominatos, vel ex vitiosa consuetudine genitos, quasi pretio emptos, vel ex alieno statu ob nostram superbiam assumptos, quasi alienigenas, patiter resecamus. Vna ergo hæc cura, quæ non sine ordine domum Dei extruit, & vni vitio obstitens, omnia comprimit, breui tempore ad animæ puritatem peruenit.

Sequitur quartus fructus, ille autem est interna mentis pax; quem fructum hoc simili patefacimus. Sit paterfamilias, cui cura sustentandorum filiorum & seruorum incumbat. Is, si vir sit prudens, & congregandarum diuitiarum non nimis cupidus, & videat se honesto officio, & suæ conditioni congruo, posse suam substantiam augere, & filiis familiarique consulere, latus & securus quiescit: si verò nihil lucretur, si nullum substantiæ augmentum faciat, sed potius quæ habet, paulatim consumat, & ad extremam mendicantem properet, merito tristis inquietusque persistit. Ita vir iustus, qui specialem alicuius virtutis adipiscendæ curam habet, in dies videt maiorem suorum morum emendationem, & aliquem singulis noctibus colligit nouum virtutis profectum, & hanc virtutem augens, omnia in bono crescere, & ad diuinam familiaritatem se vocatum esse perspicit, & ideo magnam concipit tranquillitatem & pacem: si verò nullius rei specialis emendandæ aut promouendæ curam habeat, sed quasi in incertum curat, & quasi aerem verberans, in vita spirituali procedat, quia nullum aut modicum spiritus profectum sentit, non immerito turbatur, & ex suæ paupertatis consideratione torquetur. Est vir spiritualis & iustus, instar horologii affabrè facti, cuius totus ordo, & (vt ita dicam) tota pax, ex rotis bene dispositis, & ex ponderibus, suæ magnitudini vel paruitati accommodatis, pendet. Rotæ huius mystici horologii sunt diuersa studia, & exercitia orandi, meditandi, legendi, & cæterorum ad spiritualem vitam pertinentium, quæ omnia debent prudenter & ordinatè disponi. At pondus est hæc particularis cura proficiendi, & in aliquo se emendandi, quod non ad terram, sed ad cælum trahens, rotas, id est, omnia alia studia, ordinatè mouet, & totum hominem pacatum reddit: Congruè autem hæc particularis proficiendi cura, horologii ponderibus comparatur, quoniam sicut hæc debent magnitudini horologii conuenire: ita & cura debet profectui iusti hominis esse conueniens. Paruus enim spiritu & incipiens, in re magna, & quæ alias sibi non cognitæ præsupponat, curam non collocet, quia ordinem aliorum studiorum turbabit: & magnus, id est, perfectus siue proficiens, in rebus minimis hanc suam curam non ponat: quia minima cura, velut modicum pondus, maiora studia & occupationes inuertet. Sed de hoc postea dicemus. Est etiam hæc particularis cura, vt bellum strenuè & prudenter gestum, quod modò vnum hostem, nimirum vnum vitium expugnans: modò vnam urbem, nempe vnam virtutem, acquiritens, & sic deinceps procedens, tandem finem habet, lætissimam pacem, propter quam belli labores & fatigationes suscipimus. Et in ipsa b.lli prosecutione non

A minima inuenitur pax, quia mens in hoc quiescit, quòd hostes paulatim vinci, & causas turbationis expelli, ac submoueri videt. Cum dispositione, ait sapiens, initur bellum: & erit salus, vbi multa contulit. Prudenter nimirum & ordinatè debet iniri bellum, & nunc isti hostes, nunc illi ex spiritualis patris consilio proterendi, vt salus, quæ bellum sequitur, & ad quam bellum dirigitur, nempe pax veniat cordisque tranquillitas. Nam si absque prudentia, & ordine omnes hostes aggrediamur, & cum vix ad vnum fati sumus, omnes simul perimere aut fugare nitamur, non tam victores, quàm victi, & pondere laboris oppressi permanebimus.

B Postremus denique fructus, atque vtilitas, sit cumulatissimum præmium, quod pro hac prudenti ac speciali cura repositum manet. Si enim perseueremus vsque ad mortem in hoc studio, nunc hoc vitium, nunc aliud vincendi: nunc hanc virtutem, nunc aliam in corde plantandi, pro tam continuo labore copiosam mercedem recipimus, & si quid boni infectum fuerit, sicut sine dubio erit, iuxta efficacem voluntatem, qua illud perfecisse cupimus, præmium quoque reportabimus. Nam Dominus, qui largissimus est in præmiando, non solum opus mercede afficit, sed & bene agendi voluntatem. Vincat annos animus, & infrigescente corpore, ferueat proficiendi desiderium, at ubi que fatiscenibus duret incolumis propolui vigor, & spiritum promptum non retrahat à seruire imbecillitas carnis infirma, vt quod hic perfectionis defuerit, nobis efficaciter volentibus, nec, quia morte præuenimur, potentibus, in alia vita non deficiat. Hoc argumentum præclare sanè tractat in quadam epistola Bernardus, cuius verba notatu dignissima licet aliquantulum longiora, in medium adducam. Sed dicit aliquis, ait, quid si morte præuentus fuerit homo, necdum videlicet spirituali aedificio consummato: Perfectus quippe non habet, quo proficiat. Et qui proficit, eo ipso quo proficit, perfectus non esse conuincitur? Est quòd securi de illo plana fide respondeamus. Dicimus nempe: Consummatus in breui expleuit tempora multa. Bene multa, quia & vniuersa complectitur. Quomodo enim non expleuit omnia tempora, qui transit ad æternitatem? Quanta sanè tempora non longauitate, sed longanimitate: hoc est, non annorum serie vel dierum numero, sed mentis deuotione, & inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta tibi in meritis non immerito vendicauit. Retinet quippe virtute, quod amisit in tempore. Porro vera virtus finem nescit, tempore non clauditur. Vnde & illud: Caritas nunquam excidit. Et item: Patientia pauperum non peribit in finem. Et: Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Nunquam iustus arbitratu se comprehendit, nunquam dicit, satis est, sed semper est, sitque iustitiam, ita vt si semper viuere, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annū, vel ad tempus instat mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatu. Audi denique vocem iusti: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Et rursum: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. Non igitur ad tempus. Proinde iustitia eius manet, non aliquanto tempore, sed in sæculum sæculi. Sempiterna itaque iusti eseries, sempiternam meretur refectionem. Et licet in breui consummetur pro tempore; iudicatur tamen expleisse tempora multa pro virtutis perpetuitate. Quo denique pacto temporis

Prov. 24.
6.Bern. e.
psal. 53.
ad Gari.
num.Sapient.
15.1. Cor. 13.
8.
2. p. 9. 19.
psal. 18.
10.psal. 118.
93.
16. n. 112.

breuitas

breuitas bonorum præiudicat perpetuæ deuotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim procul dubio, inflexibilis & obstinata mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breui fuit tempore, vel opere longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret: immo semper viuere veller, ut semper peccare posset. Proinde potest, & de isto per contrarium itidem dici: Consummatus in breui, expleuit tempora multa, quod meritò multorum, immo omnium temporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem. Itaque indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Huc vsque Bernardus. Magna profectò est hæc exultationis occasio, quod nempe si pro facultate laborauerimus, & ut homines prudentes, nunc ista nunc illa emendare curantes, ad finem vsque perseuerauerimus, si quid necdum emendatum fuerit, præmio efficacia voluntatis, qua illud etiam perfecissimus, si per tempus licuisset, nequaquam priuabimur. At si nihil speciale curamus, si nullum progressum specialem virtutis aggredimur, sed omnia simul virtutis munera inefficaci quadam voluntate complectimur, mirum erit, si aliquis sequatur profectus. Qui verò parum profecerit, nunquam perfectorum mercedem recipiet. Est igitur vtilissima hæc specialis virtutum exercitatio, quia & oculos aperit, ut nostram infirmitatem ac Dei benignitatem videamus: cor deprimat, ut de nobis humiliter sentiamus: compendiosè perficit, ut mentis puritatem & pacem assequamur, & index est efficacia voluntatis, qua proficere intendimus, quia semper nos in aliquo emendat, ut iuxta mensuram huius voluntatis, quam ex gratia concepimus, & quantum fuit possibile, opere parturimus, æterno præmio lætemur. Amen.

De initio particularis examinis; nempe de proposito emendationis.

CAPVT IX.



MONSTRATVM est, hoc instrumentum ad capeffendas virtutes esse vtilissimum, nunc (quia ad vsum est inuentum) eius vsum explicemus. Quatuor autè diximus esse partes, ex quibus constatur, scilicet propositum, curam, discussionem, & collationem, quæ nunc sigillatim exponendæ sunt, ut virtutis cupidus facile possit eas actione complere. Prima pars & velut initium totius huius negotij est emendationis propositum. Debet igitur qui vult progressum in virtute facere, suos defectus, suasque spirituales miseras fati habere perspectas, inspicereque à quo vitio vehementius impugnetur, à qua virtute magis elongetur, quis defectus, sit velut dux & antesignanus aliorum, à quo velut à radice omnes alij dependant, & contra hunc defectum specialissima cura, & ardentissimo conatu per aliquot hebdomadas vel menses, quousque illum vincat, & destruat, pugnare constituat. Hanc verò pugnam à proposito emendationis singulis diebus repetendo, inchoabit. Ita scilicet ut manè cum surgit è lecto, firmiter se in illo defectu vsque ad horam examinis, se in vel post prandium faciendi, emendare proponat: idem

A que propositum in ipso examine repetat, & vsque ad sequens examen ad noctem faciendum, similiter se emendare constituat; & singulis postea diebus eandem propositi iterandi rationem habeat. Quod autem de proposito emendandi defectum dicimus, de proposito etiam exercendi virtutem, actibus internis & externis, intelligendum est, cum victo defectu iam quis vltra progreditur, & ad virtutem oppositam exercitatione quarendam conatur. Id quod dictum est, claritatis maioris gratia quasi ipso vsu pandamus. Agnoscis, te esse superbum, veraque humilitatis virtute carere; & superbiam diuino auxilio vincere, ac humilitatem à Deo obtinere constituisti: Tunc incipis vestigare, quæ peccata aduersus humilitatem admittas. Inuenis in

B multis te ex superbia delinquere; in hoc præcipue, quod te, & tua in conspectu aliorum stultissime laudas, & fratres tuos, ac eorum dicta & facta stultius extenuas. Iam aduersus hunc particularem defectum, per aliquot dies, vel hebdomadas specialiter pugnaturus, cum è lecto surgis, pedibus Domini prouolutus, his aut similibus verbis, non ore, sed corde prolatis, emendationem proponito. Domine Iesu Christe, humilitatis magister, & humilium amator, ego vermis superbissimus, & ob superbiam tuo amore indignissimus, cupio ex totis precordiis meis aduersus superbiam pugnare, & à te pretiosam gemmam humilitatis obtinere. Et quia in hoc vitio, & aduersus hanc virtutem præcipue stultissima mei laudatione & aliorum vituperatione

C delinquo: coram te firmissimè statuo, atque propono, vsque ad meridianam refectionem hodie me & mea profus non laudare, nec alios, aut eorum facta, vel dicta vilipendere. Tu Domine, sine cuius gratia nihil boni possum, me præueni, adiuua, roborata, atque conforta, ut sicut nunc desidero, ita faciam, & hoc meum propositum impleam. Similiter in hora examinis meridiani facies, & gratijs Deo actis, si propositum impleuisti, aut si in aliquo defectum cecidisti, intimo dolore concepto, & venia humiliter postulata, idem propositum repetes: & sequentibus diebus vsque ad emendationem eodem modo procedes. Hoc verò defectu eliminato, alium humilitati repugnantem, & postea alium & sic deinceps assumes. Victis autem defectibus statues, te in aliquo actu humilitatis interni aut externi exercere, singulis diebus per aliquot vices, & cum se occasio talis actus obtulerit, & post hunc in alio & sic de reliquis, quousque te agilem ad opera humilitatis inuenias. Defectus autem aduersus quamlibet virtutem & actus eius, tum ex his, quæ de vitiis & virtutibus superius dicta sunt, tum ex his, quæ in fine huius tractationis dicemus, intelleges.

D Hoc propositum in aliquo se specialiter emendandi, non fuit antiquis incognitum, quod certè gratum fuit in Plutarcho reperisse. Hic enim contra iram scribens, sic ait: Commendabam & illa, ut non inelegantia, neque indocta in precibus vota, ut annum Venere temperemus & vino, temperantia Deum colentes; ut aliàs per statum tempus abfistamus mendacio, nobis ipsis attendentes, ut & in iocis, & in feriis simus omnibus veraces. Hinc accommodaui his animum meum, quasi non minus sit piuum, ut festos dies primum ab ira tranquillius, aliquot quasi siccis & abstemios transigerem, tanquam ferias agerem sobrietatis, & melle libamina facerem: inde mensem post duos meditando paulatim tempore progrediebar, promouens tolerantiam, omnibusque vnguiculis incum-

lib. 6. 2. p.
per totam
hoc li.
2. p. c. 3.
vsque ad
9.

Plut. do-
non tras-
cendo, ad
finem.

bens, & custodiens cum laude placidum me ipsum & sedatum, mundumque à verbis impuris, & rebus tectis, & ab omni animi perturbatione; quæ exigua gratia voluptatis & sordidæ; æstus ingentes, & penitentiam secum trahit foedissimam. Sic ille. Qui licet longius tempus quam nos ad quamlibet emendationem habendam sibi præscribat; melius tamen & fructuosius erit, modicum tempus, vt vnus, aut dimidiæ diei tibi præscribere, quia facilius erit, per breuem moram, quam per multum tempus à vitio temperare. Et hæc tam frequens propositi repetitio in bono firmat animum, & iuvat, vt alacrius contra vitium aut defectum assurgat. Propositum autem spiritualiter viuendi per partes esse diuidendum, & non omnia simul esse amplectenda officia virtutis, manifestè docet Ambrosius, in hunc modum scribens: Cuius modi igitur sit propositum viri sancti, hoc euidentius loco exponitur. Primum enim memor esse debet promissorum cælestium, secundum quæ vinentibus merces statuta debetur. Deinde aliud propositum viri sancti est, vt etiam si in periculis, & aduersis positus sit: spe tamen quam hauit ex serie scripturarum, se debeat consolari. Tertium propositum, vt etsi impius & facilegus videat, & superbos iniquè agentes, abundare diuitis in hoc sæculo: non quasi incredulus declinet à lege, sed in eius semitis perseueret, & fugiat superbiorum contagia. Contaminat enim omnis immundus, immundus autem superbus, de quo scriptum est: Immundus ante Deum omnis tumidi cordis. Quartum propositum viri, vt memor sit iudiciorum cælestium, sicut Danid asserit, qui dicebat: Memor sui iudiciorum tuorum, quæ à sæculo sunt. Sic Ambrosius. Hinc perspicitur esse quoddam propositum boni commune, quo omne bonum aggredi, & in eo perseuerare statuimus: aliud verò speciale, quo aliquod speciale bonum facere, & aliquod particulare malum vitare decernimus. De illo intelligitur quod in Actis Apostolorum scriptum est: Barnabas cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Monebat, inquam, eos, vt in ea bona, quam conceperant, voluntate tenendi fidem & seruendi Domino, sine vlla instabilitate persisterent. De isto verò est illud Danielis: Propositum Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius. Item & illud Sapientis, qui de sapientia ait: Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Hic enim aliquod speciale bonum, nempe amorem sapientiæ & contemplationis: ille verò studium abstinentiæ constituit. Istud speciale propositum sæpe repetitum (vt diximus) quo aliquem particularem defectum vitare, & aliquam specialem virtutem exercere decernimus, est huius instrumenti initium.

Sed huic speciali proposito aliqua debent adungi, vt non in sola voluntate maneat, sed in opus & vitæ conuersationem exeat. Horum primum, est firmitas: vt scilicet firmissimè & ardentissimè statuamus, defectum illum specialem fugere, vel actum illum virtutis in omni occasione præstare. Secundum propositum nostrum, inquit Thomas à Campis, curius profectus nostri, & multa diligentia opus est bene proficere volenti. Quia si fortiter proponens sæpe deficit; quid ille, qui raro aut minus fixè aliquid proponit? Animaduerte tu, qui hæc legis, si aliquando cibum salutis corporis aduersum manducaisti, quam firmiter statuisti de cæ-

tero ab illo abstinere, ita vt posthac nunquam illum comederis. Vide si aliquam rem tuo honori aut commoditati conuenientem iudicas, quam verè & stabiliter decernas apud te, quòd illam omnibus modis es adepturus. Ita igitur statue, vitium fugere, quod animæ nocuit, & virtutem pretiosissimam illi oppositam consecrari. Nam tepidum propositum, aut statim obliuioni trades, aut si eius memineris, ob præsentem difficultatem mutabis, & pro nihilo duces. Vult, & non vult piger, ait Salomon, anima autem operantium impugnetur. Vult manè, quando proponit, non vult postea, quando difficultatem sentit. Vult ab occasione frangendi propositum elongatus, non vult occasione transgrediendi circumdatus. Vult, cum futurum præmium cogitat; non vult, cum præsentem laborem considerat. Rectè pigri vocabulo denotatur, inquit Beda, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo: delectant præmia, cum pollicentur: deterrant certamina, cum iubentur. De quo Iacobus ait: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Et filius Sirach: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! Meritò hæc de illo dicuntur, qui tepidè proponit, nam quasi duas habet animas duasque voluntates, quarum vna bonum, quod pulchrum est, & apparet, amplectitur: altera idem bonum, quia sicut rosa spinis, ita difficultatibus cingitur, detestat. Duas etiam vias & contrarias ingreditur, quarum vna, quæ est in proposito, ad perfectionem tendit: & altera, quæ est in opere, à perfectione se auertit. Propositum autem erit firmum & vehemens, si quis magnum virtutis, quam adipisci studet, desiderium concipiat, quod desiderium firmitatem in propositis parit, & media ad rem concupitam assequendam necessaria querit, inuenit, & actione implet. Si ad illam virtutem habendam, orationem, meditationem, spiritualem lectionem, Sanctorum, quos inuocat, adiutorium, & corporis asperitates dirigat: quæ omnia illud conceptum propositum, dum auxilium à Deo impetrant, & voluntatem suadent, & emolliunt, minicè intendunt; & roborant. Si denique tempore elucendi propositi omnem segnitiam & torporem pellat, & se ad fortiter statuendum, & ad victoriam de se ipso in obortis difficultatibus obtinendam inclinet. Sic conuenit illi, quod de fortissimis Saul & Ionathæ cecinit sanctus Dauid: A sanguine interfectorum, ab adipè fortium, sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis. Quia propositum virtutis ita firmiter factum, velut sagitta, vitia à viro iusto interficienda confodiet; & quasi gladius, adipem eorum, id est, robur & vires, excindet. At si tepidè nostram emendationem proposuerimus, dicetur de nobis illud Psalmi: Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Et postea: Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum. Arcum enim intendimus, & sagittam misimus, & pactum cum Deo fecimus, cum bonum aliquod statuimus. A Deo verò auertimur, & ad visibilia dimissa conuertimur, & pactum non custo dimus, cum postea ea, quæ statuimus, non seruamus. Item & illud Osæ ad nos applicabitur: Reuersi sunt vt essent absque iugo; facti sunt quasi arcus dolosus. Absque iugo enim efficitur, cum propositum boni, cui vt iugo Domini colla subiecinus, per transgressionem abiicimus: & quasi arcus dolosus reddimur, cum vnum opere facimus, & alio sagittâ propositi collineamus. Non desit itaque proposito firmitas, quæ nos stare verbis faciat, & ad id,

Ambr. ad Psal. 128. ser. 7.

Apost. 11. 23.

Daniel. 1. 8.

Sapient. 7. 10.

Thom. à Camp. lib. 1. de inuitas. Christi. c. 19.

Prouer. 13. 4.

Beda ibid.

Iacobi. 1. 8. Eccl. 2. 14.

1. Reg. 1. 22.

Psal. 77. 9. 57.

Osæ 7. 16.

quod

quod statuiamus, implendum inducat.

Aliud adiunctum proposito debet esse, fidelitas; ut scilicet in statuendo, Deo fideles simus, & ei, quod suum est, tribuamus. Fideles erimus, si proponamus, nos bonum esse facturos, non in nostris viribus, sed in gratiæ diuinæ auxilio confisi. Multi manè bonum proponunt, & hoc, aut illud se opere completuros esse decernunt, & quia proponunt sine Domino, & in sua cura & diligentia confidunt, oblata occasione agendi deficiunt. Permittit id iuste Dominus, ut se ipsos agnoscant, ut humilitatem discant, ut ad eum pro auxilio recurrant, & non sibi ipsis, quasi aliquid sine Deo potentibus, fidant. Hi sunt, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Qui videntes se aliquando vicisse, & aliquem spiritus profectum comparasse, superbia quadam abscondita cogitant, aut ita se habent, ac si cogitarent, se iam ad bona posse sufficere. Sed hos frater non redimit, redimet homo? Hos, inquam, Christus, eorum humana natura, & amore frater, qui non dignatur eos vocare fratres, ab imbecillitate & casu iuste non liberat, etiamsi potentissimus sit omnium liberator, ut in minoribus cadentes, malum superbiæ maius euadant: Quomodo ipsi homunciones vilissimi poterunt etiam post firmum propositum boni, se à malo, quod timent, continere? Necessè est ergo, si volunt non cadere, ut ita proponant, quasi nihil per se possint, sed toti à Deo, sicut & in conceptione boni, ita & in actione dependant. Confidens hoc ipsum, inquit Paulus, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Ipse Apostolus fiduciam de initio, & progressu, & sine nostræ conuersionis in Deo collobicans, docet nos, eandem fiduciam in eo collocare, ut in eius gratia propositum nostrum stabilientes, ab ea ita roboretur, ut fructum bonæ operationis emittat. Discamus itaque ex Augustino, nostram magnam infirmitatem agnoscere, & à Deo toti pendentes, quod rectum & bonum est, statuere. Ille sic ait: Propter hoc oramus te Domine, ne permittas dominari, quod non fecisti, huic creaturæ tuæ, quam fecisti. Si enim doles de perditione: quid te prohibet, Domine qui omnia potes, ne semper lateris de nostra saluatione? Si vis, potes me saluare. Ego autem, etsi vellem, non possem. Magna est multitudo miseriarum mearum tecum. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet. Et quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat, sicut in celo, & in terra. Et quod volo, & possum ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si etiam sciam, quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adiuuet vera sapientia tua. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Domine, vniuersorum principatum tenens omnis carnis; & quæcumque vis, facis in celo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus inuocatum est nomen tuum. Hæc ille. Isto modo elicienda sunt à nobis emendationis proposita, omnem fiduciam in eo, qui elisos erigit, & infirmos confortat, ponentibus, & ab eo bonum exitum sperantibus. Ita sint firma, ut firmitatem eorum, non à nostris viribus, sed ab auxilio Domini, nos præueniente, adiuuante, & subsequente queramus. Sic fiet ut ille, cuius potenti brachio subnitimur, nos ad agendum bonum adiuuet, qui

A ad statuendum adiuuit. Et cum ceciderimus, & proposito nõ steterimus, id propriæ culpæ & miseriæ tribuemus: cum verò propositum seruauerimus, non per inanem gloriam erigemur, sed Dei misericordiæ deputabimus. Hæc autem erit tempore examinationis nostra cantatio: Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël; Nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.] Nam si Dominus tantisper se abscondisset, & nos nobis reliquisset, viuentationis oppressi nihil aliud quam cadere fecissemus, & ab eo quod statuimus, elongari. Agemus illi gratias de nostra victoria, & hæc gratitudo aliam victoriam merebitur, illæque, qui humiles respicit, & non sibi bonum tribuentes extollit, faciet, ut deinceps victores de nostris defectibus existamus.

Tertius comes huius nostri propositi, sit longanimitas, qua per conueniens tempus in eo manendum est, nempe vsque ad vitij deleuionem & oppositæ virtutis adeptionem. Pugnam aduersus vnum vitium incipere, & ante victoriam desistere, est non aliud quam sine fructu laborare, aut ex eo quod vtilissimum esse solet, exiguam vtilitatem decerpere. Nam si rex bellum aduersum Christianæ fidei hostes indiceret, & ante ipsorum expugnationem eis fræderaretur, non eos vinceret, sed faceret audaciores. Ita omnino, si ante obtentam de aliquo defectu victoriam, ab eius infectione cessemus, ab eo postea vehementius impugnabimur. Vulpecula ab olitore comprehensæ se mortuas fingunt, ne occidantur; ita defectus, quem validè insequimur, à proprio amore edoctus, mortuus fingitur, ut dum ab eius impugnatione desistimus, viuos relinquatur. Dauid timens mortem sibi à seruis regis Achis inferendam, immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in ostia portæ, defluebantque saluæ eius in barbam.] His omnibus hominum amentium signis se amentem fingebar, ut mortem effugeret. Sic passio immoderata, aut culpa nobis infesta, se nullius momenti esse simulat, ut curam nostram, qua aduersus illam pugnabamus, effugiens, robustior, & molestior euadat. Aptius autem figurant hæc habitatores Gabaon, qui indumenta vetera, & calceamenta discissa, omniâque lacera præferentes, quasi homines in longissima terra habitantes, & nullius æstimationis, magis verò compassionis digni, pacem & libertatem efflagitabant. Ita defectus nostri iam quasi à longè tantum clamant, & se lassos, & fatigatos, & nullius momenti demonstrant, ut in nobis habitare sinantur. Ne pactum ineamus cum eis, nec viuos eos relinquamus, quia non seruiunt nobis, sicut Gabaonitæ traierunt, sed nos potius in miseram seruitutem inducent. Pugnaisti, o frater, aduersus vitium illud, quod est omnium miseriarum tuarum initium, exarmasti illud, & vires eius dimicando fregisti? Nunc facile erit, hostem omnino delere. Ne, quæso, à bello cesses, donec funditus illum extinguas, & affectum tuum bene moderatum sentias: quia si vitium vitium reliqueris, iterum se atmabit, & vires resumet, & post paucos dies, ac si nihil laborasses, te inuadet, & fortassis eueret. Ex altissimo puteo amphoram aqua plenam pene hausisti? Ne illam è manibus labi sinas, prius quam bibas, & tuam sitim exaties: quia si in hoc minùs diligens fueris, post multum laborem vacuus & sitibundus permanebis. Quid enim aliud est, virum iustum se in aliquo vincere, nisi ex puteo cordis sui aquam dulcissimam profectus

Phil. 1.23
1.2.3.4

1. Reg. 21
13.

Iosue 9.
4.

1. Reg. 21
13.

Phil. 4.8.
7.

Philip. 1.
6.

Aug. in
siloq. c.
24.

haurire? At si ante plenam tui defectus victoriam aliò te conuerteris, & rem semifactam desueris, aquam profectus, quam omnino non extraxisti, non bibes, ex tuòque labore nullum aut paruum refrigerium accipies. Dicit tibi Dominus, quod Eliseus ad Iuas regem Israhel: Percute iaculo terram. Quòd si vt ille rex tribus tantum vicibus terram percusseris, irabitur tibi Dominus, dicetque ad te: Si percussisses quinquies, aut sexies, sine septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem. Si, inquam, in pugna perseuerasses, & maiorem tibi vim intulisses, vitium tibi imperans subiugasses: at quia ante tempus cessasti, ipsum proteruum, & nunquam bene victum, immo & semper contumax senties.

His tribus comitibus, firmitate, qua stabiliter & feruenter bonum statuamus; & fidelitate, qua non in nobis, sed in Deo confidamus, & longanimitate, qua in cæpto perseueremus, propositum nostrum efficaciter vsque ad emendationem vitij & virtutis adeptionem procedet. Simus itaque sicut strenuissimus dux, qui firmissimè decreuit aut hostes vincere, aut in prælij conflictu perire. Qui licet hodie vincatur, statim milites suos dispersos colligit, & iterum exercitum cogit, hostem quatit, & cum eo animosè congregatur. Et si multoties euentum belli sentiat aduersum, nunquam cessat, quousque aut vincat, aut pereat. Sic & nos licet sæpe in defectum impingamus, licet sine numero prosternamur, nequaquam à pugna cessemus, sed ac si nunquam victi fuissimus, ad bellum animosè & perseueranter reuertamur, quia sic facientes, absque dubio non peribimus, sed vincemus. Quæ nos reuocant à proposito nostro, inquit Bernardus, duo sunt: Rubor incæpti operis & desperatio exequendæ virtutis. Aduersus hos duos hostes, qui propositum enervant, pugnandum est; aduersus primum sancta libertate, qua soli Deo placere studeamus, & opiniones hominum pro nihilo habeamus: Aduersus secundum firmissima spe, quòd Deus nos pugnantes vsque ad victoriam inuabit. Vt autem hi comites proposito nostro non desint, semper vtilia statuenda sunt, & quæ vires à Domino concessas non superent. Si enim inutile statuerimus, & quod ad finem virtutis acquirendæ non conferat, necesse est à proposito cessare: si verò vltra vires nos onerauerimus, impossibilitas aut difficultas nimia compellet à proposito resiliere. Sit igitur propositum discretum, quod onus vitij superandi & virtutis assequendæ quasi per partes diuidat, vt à labore prudenter assumpto, mens non desistat. Vnde Richardus Victorinus bene ait:

Rich. lib. 2. de erudit. inter. hom. c. 5.

Multi sæpe multa proponunt, minimè tamen faciunt, quia quàm facile aliquid statuunt, tam facile rursum statuta reiciunt. Primò itaque obseruandum nobis est, vt vtilia statuamus. Secundò autem vt statuta firmiter teneamus. Attende quàm firmiter statuit quod optimus ille deliberator optimum esse perpendit. Iuravi, & statim custodire iudicia iustitiæ tuæ. Audisti de voti institutione? Audi & de voti executione. Vota mea reddam in conspectu omnis populi eius. Sanctus David iuramenta, & vota sua firmiter custodiebat, quia nefas esset promissis non stare, & quasi furtum sacrilegum, quod Domino oblatum erat, iuramenti aut voti fractione surripere. At tu, vir Dei, non solum vota tua (de quo alias), sed & proposita tua, non minori diligentia custodias. Licet enim hæc transgredi, crimen non sit, at ab inconstantia & leuitatis nota excusari non potest. Et hinc tibi documenta præscribimus non tantum quibus in peccata non cadas, sed quibus in virtute proficias. Quem verò profectum, quod virtu-

tis incrementum expectabis, dum statuis bonum facere, & non facis, si virtus actione crescit, & propositum, quod actio non sequitur, solum ex infirmitate voluntatis, se efficacitatis expetis ostendit? Dum instinctum Dei excipis, & actione præstare constituis, quasi verbum Dei audis: dum autem postea non exequeris, te verbo Domini non obedire profiteris. Quid autem dicit Iacobus Apostolus? Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nauitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Consideras vultum tuum in speculo, quando in moribus & conuersatione Christi te inspicias, & animæ tuæ maculas aduertens, eas delere & emendare proponis. Sed statim obliuisceris, & compunctionem abicis, cum propositum tuum, cuius executione emendari debeas, non exequeris. Quid profuit te ipsum inspexisse? Certè nihil, nisi vt maiorem penam sis habiturus, quia vidisti quod factu opus erat, & præ magna negligentia tua facere non curasti. Vt ergo propositum tuum sit ad meritum & profectum tuum, in bono, quod statuendo cæpisti, procede, & illud actione præstare non omittas.

Iacobi 1. 22. 23.

De Progressu particularis examinis,
nempe de cura interdii
habenda.

CAPVT X.

ACTO mandè firmo emendationis proposito alicuius defectus specialis (vt dictum est) qui virtutem concupitam oppugnat, vel exercitationis eiusdem virtutis, quam mens iusta desiderat, sequitur cura semper habenda eiusdem virtutis exercendæ vel defectus declinandi. Hæc verò cura, ò perfectionis amator, nihil aliud est, quàm vt per totum diem, moderatam & discretam illius tui propositi memoriam habeas, & oblata occasione in eius executionem diligenter incumbas. Meditare nunc strenuum militem, cui à rege commissum est, vt contra potentissimum aduersariū descendat ad singulare certamè, ex cuius victoria tota salus suorū, & aduersariorū fuga, excidiumque depèdeat: Is quas cogitationes animo voluet? Quod in se desiderium vincendi, quem ardorem suscitabit? Quanta sollicitudine armis se proteget? Quàm attentus ad pugnam ibit? Quàm animosus certamen incipiet? Quanta indignatione & fortitudine hostem aggredietur, ex cuius interitu suam & suorū vitam suspensam esse cognouit? Considera etiam negotiatorem, vxorem, filios, & familiam habentem, quibus ex suo labore ministraturus est cibum, quàm diligens è lecto surgat ante diluculum, vt se ad laborandum accingat? Et quàm seuerè sibi imperet, ne aliquam lucrandi occasionem prætermittat? Et ex istis, quam tibi indicimus curam addisce. Nam si vitium aliquod oppugnare decreuisti, miles es, cui Dominus supremus rex onus vincendi infensissimum sibi hostem imposuit: si verò virtutem oppositam assequi proposuisti, negotiator es, cui lucrandi cælestes diuitias munus iniunxit. Ne ergo prouincia tibi demandatæ obliuiscaris, sed tales interdii cogitationes assume: talia desideria habe, tanta in omnibus diligentia procede, quæ te ad victoriam vel ad lucrum exultent. Sollicitus nos anxia

cura

cura temporalium, adeo vt cogitatio, & desiderium propulsandi mala corporis & querendi bona, omnem nostram mentem & cunctas vires absorbeat: sollicitet & cura perfectionis, ac profectus nostri, & eo ipso quod vtilior est, alias sollicitudines obruat. Illam quidem nimiam sollicitudinem tanquam noxiam Dominus vetuit: Nolite, inquit, solliciti esse in crastinum: Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi:] qua sententia moderatam temporalium curam, quae praesentia & propinqua respiciat, non taxat, sed illam immoderatam, quae ad nimium distantia se extendit, & fortassis nunquam futura, condemnat. At sollicitudinem bonorum spiritualium tanquam proficuum ore Pauli sine vlla limitatione praecipit. Hic enim Apostolus ait: Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.] Ita sitis de vestra salute solliciti, vt in executione eorum, quae ad ipsam pertinent, nullam habeatis pigritiam: ita spiritu feruentes, vt quod implere non potueritis, pie & auidè desideretis: ita sitis Domino seruientes, vt ad eius obsequium in nullo deficiatis. Sed haec est nostra officiantia atque fatuitas, quod illa bona, quae moderatè & propter aliud appetenda sunt, auidissimè & quasi propter se ipsa essent, concupiscimus. Haec verò, quae sollicitissimè sunt quaerenda, aut omnino relinquimus, aut tepidè curamus. Muremus itaque ex vno in aliud curas nostras, casque in hoc ponamus, vt iuxta id quod semel statutum est, vitam nostram emendemus.

Sed quam diligens debeat esse ista cura, qua propositum nostrum implendum est, Salomon in Proverbis sub imagine fideiussoris adumbrat. Hunc enim sic alloquitur: Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod, dico fili mi, & temer ipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui.] Primis illis verbis naturam sancti propositi videtur exprimere, cuius notione vult, iustum ad eius diligentem impletionem incitare. Quidam est propositum, quo aliquod bonum conueniens nobis iudicamus, & faciendum esse decernimus? Est sponso quaedam, qua liberum arbitrium statuens siue proponens, pro homine amico suo, cuius est facultas intellectum & voluntatem includens, fide iubet, & quod hic statuta, & decreta faciet, certa ratione promittit. Optime autem vocatur sponso siue fideiussio, quia quemadmodum si principalis debitor non soluat, sponsor ad soluendum adigitur: ita si homo statuta non impleat, libera eius voluntas quasi in defectum hominis increpatione mulctatur. Et quid est propositum? Est deditio, qua voluntas quasi in signum seruitutis manum desigit, & extraneo se subiicit. Nonne Christus extraneus vocari potest, qui de se ait: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filius matris meae? Planè extraneus hominibus, quia isti de terra, ille de caelo: isti peccatores, ille sanctus: isti superbi, itacundi, & iniusti; ille humilis, mansuetus, & iustus existit. Sed huic voluntas, dum aliquid proponit, se tradit, & se ad illud faciendum astringit. Et quid amplius est propositum? Est laqueus quidam verborum, quo homo seipsum illaqueat, & saltem sub poena inconstantiae & leuitatis ad exequendum se obligat. Nec quia laqueus verborum dictus est, propterea est habendus contemptui, quonia sicut verba saepe multo magis quam verbera ferunt: ita multo fortius quam funes constringunt. Istos enim robur corporis aut gladius expedit, verba verò, quibus aliquid pollicemur, aut statuimus, sola impletio eorum infringit.

A Denique: Aperi os tuum, inquit idem Salomon, & decerne quod iustum est: & iudica inopem & pauperem.] Ac si diceret, postquam statueris, atque decreueris, quid faciendum sit ad liberationem egenorum & pauperum, opere comple, & libera eos: alioqui a delicto immunis non eris. Quod si quis hanc sententiam sibi accommodare voluerit, & se ipsum pauperem cogitare, animaduertat, quod ne in inconstantiae & leuitatis notam cadat, debet quae semel ad sui liberationem & perfectionem decreuit, implere. Si ergo, o homo, aliquid statueris, si apud extraneum manus defixisti, si illaqueatus es verbis oris tui, te ipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui. Apertè, quem antea extraneum vocauit, nunc proximum tuum vocat, quia dū te emendare, & culpam pellere, & virtuti studere statuis, iam Christo, a quo per culpam & virtutis absentiam longè es, quodam modo propinquus efficeris. Eris autè omnino proximus, cum ex proposito ad opus transiens, eius virtutis imitationem indueris. Ipse quidè est proximus, qui cum sit in forma Dei, Deus noster, vt inquit Augustinus, formā serui accipiens, esse dignatus est etiam proximus noster. Ipse est ille proximus, qui, vt dicitur in Deuteronomio, homicida ad vnam ex tribus ciuitatibus confugienti parcat, quia licet peccauerimus, nobiscum benignè aget, quos, vt inquit Gregorius, fides, spes, & charitas in poenitentiae lamentis absconderint. Igitur te ipsum libera, quia incidisti in manus huius proximi, quando nos poenitentes ad misericordiam excipit. Et ideo dixit David, cui optio poenae ob peccatum numerationis populi data est: Melius est vt incidam in manus Domini (multae enim misericordiae eius sunt) quam in manus hominū. At terribile est incidere in manus eius, cum nos delinquentes ad iram & vindictam exquirat: Quia horrendum est incidere in manus Dei viuientis.] Quem casum casta Susanna sapienter timens, ad illos lateos senes ait: Melius est mihi absque ope incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.] Quis autem non videat, quod si culpam non fugias, & eam praesertim, a qua paulo antè te fugitutum promiseras, incidis in manus huius proximi, vt de te vitionem assumat? Quod si culpa fuerit leuis, non ob id non debes timere, quia leues culpas, praesertim non ex infirmitate, sed ex sollicitantia exortas, solet hic proximus ad vtilitatem suorum non leui ariditate & desolatione mulctare.

B iam audio te dicentem: Quomodo igitur post emissum emendationis propositum, me de manu huius proximi liberabo? Non certè alia ratione, quam si diligenter cures, tuum propositum ac decreta implere. Hanc curā sollicitam praescribit Sapiens, vt huius liberationis remedium, in verbis, quae statim subiungit: Discurre, inquit, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae.] Haec dicta sunt illi, qui proposuit, illi qui pro amico fideiussit. Diximus autem sponsorem fuisse, liberum arbitrium, ad quod pertinet de agendis vel omitterendis per intellectum iudicare, & per voluntatem proponere. Huic ergo incumbit discurre, & festinare, & amicum suscitare, & omnem somnum & torporem excutere. Voluntas ergo tua, o homo, de sua sponsione sollicita, moueat intellectum, vt pro facienda debiti solutione discurras. Discurre, si interius mentis oculis discrimina cadendi, & a proposito deficiendi perlustras. Discurre, si ea, quae te possunt ad emendationem allicere, attentè consideres. Discurre, si media ad vitandum peccatum & eliciendas virtutis actiones inquiras. Discurre, si in diuersas

Prou. 31

Aug. 20. de ciuit. ca. 29. Deut. 19. 6. Greg. 10. mor. c. 5.

2. Re. 24. 14.

Hebr. 10. 31.

Dauid. 13. 21.

Prou. 6. 3.

2. Thim. 3. 21.

Matth. 6. 34.

Rom. 12. 11.

Prou. 6. 1. 2. 3.

Psal. 68. 9.



144th. 4.
3.

Dion. de
remed. 16.
107. ar. 27

Eccle. 18.
14.

Cant. 2.
10.
Greg. 161.

2. Petr. 3.
11.

partes curras, & omnia dona, quæ habes, in auxilium adferas, & in curandam victoriam impendas. Filij Israel, Holofernis pauore conterriti, miserunt in omnem Samariam per circuitum vsque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt fragmenta in præparationem pugnae. Sic & tu si hostem illum, id est, vitium illud, aduersus quod pugnas, pertimescas, præueni occasiones deficiendi, collige vires tuas, & aduoca virtutes, quas Deo auctore habes, quibus hostem illum à te repellas. Quomodo id fiat, ex Dionysio Richelio accipe: Dum quis ait, de carnali voluptate ac vitiiis carnis tentatur, repugnet fides, dicendo: Non acquiescas, quoniã si consentis, damnationem mereris. Spes quoque resistat, dicens: quia per talia perdo regnum caelorum, quod præstolor. Similiter charitas reluctetur, ac dicat: Malo Deum & amicitiam eius habere, quàm vana & fœda. Timor etiam retrahat, dicens: Abhorreo Dei offensam, vereor eius districtum iudicium. Sic & fortitudo opponat se: Noli, inquit, vilibus vitiiis istis succumbere. Castitas item renitatur, dicatque Puritatem amplector, turpitudinem talem detestor. Patientia verò impugnatione diabolicam, & carnalem æquanimitèr patiatur ita, ne tentatus ex assiduitate vel diuturnitate tentationis tædio obruatur, aut fatigatus succumbat. Sic & mansuetudo in omni conflictu tentationis iram deuiet, ne ratio per iracundiam perturbata, à necessariis considerationibus & ordinato impediatur processu, ad quam necessariam esse prudentiam constat. Sic ille. Atque eadem ratione pugnandum est contra quosque etiam minores defectus. Si ex omnibus, quæ habes, ita te adiuuas, si vndique te cingis, vndique te munis, ne in aliquid contra propositum cadas, vtilissimè ad tui emendationem discutris.

Deinde festinandum est tibi, vt ab eo malo, quod pertimescis, fugias, & in illam virtutem, quam concupiscis, peruenias. At festinas, si instinctus Domini te interius mouentis, vt declines ab occasiõibus delinquendi, libenter excipias. Festinas, si interdiu occasiones virtutem exercendi auide captes. Festinas, si nihil eorum, quæ ad fugiendum illum defectum particularem, & virtutem acquirendam conferunt, ex incuria prætermittas. Miseretur Dominus, inquit Ecclesiasticus, excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in iudiciis eius. Si itaque inspirationem Domini, ex sua miseratione profectam exceperis, si ad eam opere complendam festinaueris, apud eum misericordiam consequeris. Nemo ociosus, nemo sègnis in domo Dei manere permittitur: ad eò vt ipsa sponsa, id est, perfecta anima, post multos sustentatos pro Christo labores ad festinationem inuiteretur. Audit illa sponsum dicentem: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Quia dignum est, inquit Gregorius, vt quicumque ad amorem Christi properat, carnis torporem, quantum potest, abiiciat, & se ad aeterna consequenda celeriter accingat. Si anima sancta festinat, ac properat, cui pro adepta perfectione aliqua requies concedi poterat, quanto magis tu, o serue piger, qui hactenus nihil laborasti, debes ad tuam emendationem festinare, præsertim cum scias, te peccasse, & ignores te iam veniam promeruisse? Quales oportet vos esse, inquit Petrus, in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini? Certè qui aduentum Domini expectas, & in eo respicere cum iustis, & leuare caput

A desideras, quia appropinquat redemptio tua, debes sanctè conuersari in te, & ad alios pie agere, & in omnibus cum magno feruore properare, ne tuo desiderio frustreris. Festina igitur teipsum emendare, festina studio virtutis insistere, & si aliquando cecideris, festina statim per dolorem & compunctionem assurgere.

Et quid amplius? Suscita amicum tuum; cura voluntatis tuæ teipsum excitet, & de redditione debiti, & impletione propositi sollicitum faciat, & quia solus soluendo esse non poteris, ad potentiores amicos pro adiutorio conuere. Inuoca Saluatorem tuum, ipse enim, qui est extraneus tibi, quia per peccatum ab eo discessisti, ipse qui est proximus tibi, quia eo inuitante & trahente, iterum ad ipsum venisti, est etiam amicus & adiutor tuus.

B Inuoca matrem huius proximi tui, quæ à proximis sui filij non est aliena, vt tibi ad implendum propositum & soluendum filio suo, sedula adiutrix assistat. Inuoca amicos & commensales eius, in cuius manus incidisti, vt tibi, si defeceris, veniam impetrent, si bene gesseris, gratias pro te agant, & pro te semper iudicem interpellent. Nam & illi, qui obtulerunt Domino paralyticum iacentem in lecto, & summisserunt eum cum lecto pro tegulas ante Iesum, cum essent mortales homines, & fortassis non admodum perfecti, agroto sanitatem impetrarunt. Quorum fidem & piam mentem intuitus Dominus, dixit paralytico: Homo remittuntur tibi peccata tua, & tandem illum, sicut à peccato eripuit, ita à corporali ægritudine liberauit. Quanto magis Angeli & sancti, in patria degentes, & ad familiarissimam cum Deo amicitiam prouecti, multo efficacius tibi caeleste adiutorium obtinebunt, vt de cætero non cadas, & de antea admissis indulgentiam recipias? Suscita itaque amicum tuum & Saluatorem tuum: qui, vt ait Gregorius, ipse sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet, vt inuocetur. Suscita matrem Saluatoris tui, neque enim dubium, vt verbis Augustini vtar, quæ meruit pro liberandis offerre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Suscita denique amicos creditoris, qui cum illi sint gratissimi, facient, vt tibi talentum, id est, abundans gratia, concedatur, qua possis pro præteritis satisfacere, & nouam gratiam promereri. In his ita vigila, vt toto die non des somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Postquam enim semel statuisti, teipsum ab hoc vitio vel defectu emendare, vel huic studiose actioni sollicitius inhaerere, non licet quasi in veramque aurem per obliuionem propositi & negligentiam, dormire.

C Duo tandem alia ad hanc curam & vigilantiam pertinent, quæ Sapiens eodem loco nequaquam præteriuuit. Erucere, inquit, quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis. Damula, animal imbecille & timidum, semel à venatoribus capta, non moratur, sed statim toto nisu conatur è manibus eorum elabi, & se salutari fuga proripere. Ita & tu, si aliquando contra propositum tuum in commisionis vel omissionis culpam cecideris, ne in luto hæreas, ne in negligentia persistas, sed è vestigio assurgere & liberari contendas. Neque enim purius est lutum culpæ vel negligentia, quàm lutum terræ, vt ab isto statim post casum resiliendum sit, & in illo commorandum. Ita autem temet ipsum liberabis, si mox atque culpam commiseris, eam recognoscas, de illa doleas, atque compungaris, propositum renoues, interius ad Dominum conuersus, suppliciter veniam efflagites (quod & in quocunque loco, & coram arbitris fieri potest, sine eo quòd ipsi intelli-

D gant)

Luc. 1.20

Greg. 11.
regul. in
di. 11. c.
2.

Aug. ser.
35. de
sanct. 10.
10.

Prov. 6.
5.

gant) & aut gemitu, aut tuncione pectoris, aut breui precatione, aut aliis modis, quos non oportet scribere, & feruor spiritus, ac desiderium proficendi facile aduertit, tuam negligentiam castiget. Sic iridebis aduersarios tuos, qui te ad casum impulerunt, dicisque ad eos: Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Auertantur statim erubescant, qui dicunt mihi euge, euge.] Qui si laetati sunt in calu tuo, & manibus præ exultatione plausuerunt, in resurrectione tua, qua à culpa surgis, tristabuntur. Dicentque, suam ignominiam præuidentes, quia illos per conceptum nouum feruorem pessundabis, quod dixerunt Philistæi: Venit Deus in castra, & pugnat pro isto, quem antea prostrauimus. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudistertius: Væ nobis.] Tu verò è contrario lætaberis, quia per compunctionem & deiectionem tui, manus venatorum statim effugisti, & ex causa ad maiorem circumspectionem maiorque peccati odium euolasti.

Erure etiam sicut auis de manu aucupis. Auis manum aucupis aut laqueum effugiens, in sublime volat, ne in manus alterius hostis aut in alium laqueum cadat. Quo alia qualitas huius solitudinis in emendatione nostra collocanda ostensa est, ut scilicet ita de hoc speciali defectu nos emendare curemus, ut tamen per negligentiam in alia vitia non cadamus. Hæc enim cura licentiam in hac speciali materia delinquendi comprimens, eo ipso quod voluntatem frænât, & appetitum cohibet, facile se ad alios defectus vitandos extendit. Sit ergo nostra cura ad vitandam hanc culpam specialem maior, sed non sit ad vitandas alias remissa & segnior, sed cum sancto Dauide cantare possimus: Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquitatis odio habui.] Ille namque omnem viam iniquitatis derestatur, cuius mens, nec hac culpa, quam specialiter vitare vult, nec aliis (quantum potest) inficitur.

Psal. 118.
128.

Ambr. ad
Psal. 118.
serm. 16.


Quam doctrinam luculenter tractat Ambrosius in eundem locum, dicens: Nisi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus præceptis Dei corrigi. Potest enim fieri, ut aliquis se temperet à crudelitatis horrore: lubrico tamen deceptus amore meretricis, & seminis incontinentiæ iuuenilis ingressus, impressum semel non queat reuocare vestigium. Multos enim vitia blandiora decipiunt, è contra auertit à se plurimos tristis & nimium seuera crudelitas. Sed inuentus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est. Alius se restrinxit à luxu, sed auaritiæ cupiditate raptatur. Plerumque enim peccata huiusmodi sunt, ut si alterum declines, incurras alterum: & naturæ vsus adiuuat infirmitatem. Odus tu luxuriam quasi frugi, sed frugalitatis studio habendi cupiditas frequenter itreperit. Auaritiæ ipsi rapina est subdita. Et quanto tolerabilius est, propria profundere, quam aliena diripere? Sunt, qui metuentes, aliquid proprio minuere de censu, etiam in opibus sumptum negent, & misericordiam detrimentum putent. Sunt, qui degenerem vitantes ignobilitatem, stulto secularis ambitionis agitentur, & sicut quassatæ arundines, huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam, qui dum maiorum suorum statum sequuntur, veluti digna conuersatione contenti, ne errores quidem patrios existiment declinandos, ut fide mirandam perfidiam non arbitrentur, cum in melius mutare propositum non leuitas, sed virtus, nec culpa, sed gratia sit. Alius Circensibus ludis, atque theatralibus sollicitus voluptatibus, aut cæteris vanitatibus occupatus,

A Ecclesiam non frequentat, alium turis quæta delectant, eaque causa ad Ecclesiam rarus accessus est. Itaque diuerso vsu in eundem deuotionis errorem uterque concurrit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad vniuersa corrigitur & emendatur. Hæc ille. Cuius verba, si ad alia vitia aliosque defectus minores applicentur, videbimus, illum curam istam particularis examinis descripsisse, qua ita vnum vitium timemus, ut tamen alia fugere non oblitiscamur. Hieronymus autem se dedit in huius rei manifestum exemplum. Nam de seipso ait, quod ita elationem præcipuè fugiebat, ut tamen omnia alia vitia sollicitè declinaret. Eius verba sunt: Quamuis mihi multorum sum conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar. Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris; tamen sciens scriptum esse ab Apostolo: Ne inflatus superbia incidat in iudicium diaboli. Et in alio loco scriptum: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quam tumentem animum & ceruicem erectam, Dei contra se odium prouocantem. Noui enim magistrum, & Dominum, & Deum meum in carnis humilitate dixisse: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.] Et antè per os David cecinisse: Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus: Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam eleuatur.] Ecce ergo curam & sollicitudinem, qua in via spiritus progrediendum est. Si enim ut vnum defectum fugias, vnamque virtutem acquiras, te ipsum & omnia diligenter circumspectas: si occasiones deficiendi pertimescas, si caeste adiutorium ad mentis tutamen implores; si attentus sis in omnibus, ne tuum propositum frangas: si lapsus, statim aduertis, & per internam compunctionem & propositi inuolutionem assurgis; si tandem ita te ipsum in hoc particulari emendas, ut aliis defectibus habenas non laxas, sed te quantum poteris, ab omni lapsu contineas, iam sollicitè curam adhibuisti, qua sine vlla dubitatione breui tempore, multum proficies. Quia sicut à gratia Dei hæc diligens cura emendationis prouenit; ita ab ea fructus, quem cupimus, nempe magnus, & breui tempore adeptus, profectus mentis proueniet.

Hieron.
epist. 32.
ad Abi-
gaum.

D De discussione conscientie, bis quotidie facienda.

CAPVT XI.

 HRISTVS, Saluator noster, qui nunc nos ad vitam spiritualem vocat, ad emendationem inuitat, & ad sancta proposita facienda per suam gratiam, cor nostrum inflectit, in fine vitæ cuiusque rationem exacturus, & actiones ac cogitationes discussurus adueniet. Ideo Petrus de illo ait: Quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, id est, ut interpretatus est Augustinus, iustorum & iniquorum. Et hiemet iudex de seipso testatus est: Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, id est, cum tanta maiestate, ut cum in melioribus Dei bonis locatum agnoscat, & venientem in nubibus caeli.] Et per Sophoniam: Et erit in tempore illo, scruator Ierusalem in lucernis.] Non tantum Sodomam, sed & Ierosolymam scrutabitur in lucernis.

Mat. 10.
42.
Aug. in
Enchirid.
c. 51.
Mat. 26.
64.

Sophon. 1.
12.

quia

quia non tantum opera iniquorum damnabit, sed & iustorum actiones expendet, vt puniat, & reprehendat quicquid in illis minus rectum, & minus purum inuenit. Immo & his precipue admouebuntur lucernae, vt hac similitudine diuini iudicij erga illos subtilitas exprimat, quia exquisitori, & minutori scrutinio occultiores defectus indigebunt. Puto, hoc loco, Prophetam, inquit Bernardus, Hierusalem nomine designasse illos qui in hoc saeculo vitam ducunt religiosam, mores supernae illius Hierusalem conuersione honesta & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi, qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt praecedentia ad iudicium, & non egent scrutinio sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus & Hierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine & habitu monachi adumbrata. Et ideo necesse erit, subtili ea inuestigare discussione, & quasi ad motus lucernis de tenebris in lucem prodi.] Sic ille. Illos autem Dominus examinabit, qui seipsum non examinauerint: illos iudicabit, qui seipsum non iudicauerint, & qui non in semetipsis mala admitta punierint. Quare operam pretium est, vt nos ipsos scrutemur, & pro culpis castigemur, vt districtissimi iudicis sententiam fugiamus. Ac proinde merito sibi consulens idem sanctus Pater Bernardus, addit: Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire iciniis, caeterisque sanctae laboribus disciplinae. In bonis de me humiliter sentiam, & iuxta praecceptum Domini, seruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Dabo operam, nec lilia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ergo vias meas & studia mea, quod is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nil in scrutatum in me siue indiscussum intueniat. Neque enim iudicaturus est bis in id ipsum. Quis mihi det ita ad liquidum prosequi, & persequi vniuersa delicta mea, vt in nullo oporteat vereri oculos capere, in nullo ad lumen contingat erubescere lucernarum.] Hae Bernardus. Nos igitur, qui iam per speciale emendationis propositum, quasi specialem quandam legem nobis indiximus, & per curam assiduam ad statutum tempus custodiuimus, discutiamus, & iudicemus nos ipsos, ne a Domino iudicemur. Aut potius ipse, qui postmodum in folio districtissimae aequitatis homines iudicabit, nos nunc in abdito suae misericordiae iudicet. Homo veniat ante illum, in intimo cordis sui tanquam reus, & conscientia propria accusatrix assistat; & sic hoc iudicium transigatur, vt Deus ob suas miserationes erga hominem gloriosus appareat, & homo non in furore, immo neque in ira, sed in misericordia correptus, de caetero magis cautus & magis emendatus existat. Quo pacto haec discussio & examinatio fieri debeat, quae tertia pars est particularis examinis, dicendum est nunc, vt in ea pro his quae gessimus, Deum laudemus, & nos ipsos castigemus, & ex ipsa optatum fructum decerpamus.

Discussio haec conscientiae, qua inquiramus an propositum illud, mane conceptum, emendandi specialem defectum, vel exercendi particularem virtutem, custodierimus, bis quotidie fiat, semel ante vel post prandium, & semel ante cubitum. His enim duobus temporibus conscientia generaliter de omnibus examinanda est (vt postea dicemus) vnde aequum est, vt eisdem temporibus interuallis, de singulari illo proposito custodito vel non custodito, a viro iusto

Bern. ser.
55. in
Cant.

Hoc eod.
lib. 5. p. c.

A discutatur. Examini meridiani meminit Bonaventura, sic scribens: Cum pulsatur campanella ad mentem, vel ad condendum, stes in silentio, & examina te ipsum, quomodo in oratione, vel lectione, vel in seruitiis laborasti, vt preparatas eleemosynas possis secuta conscientia manducare: nam peccatores ibi eleemosynas largiuntur, non vt loquaris de partibus vel de guerris, vel maneat ociosus, sed vt pro eis incessanter ad Dominum fundas preces: quod si te inuenieris ociosum stes, aut dixisse illicita, timeas cum dolore cordis, sciens quod de eleemosynis acceptis oportebit te reddere rationem villicationis tuae; & vsque ad secundam pulsationem, cogita supradicta, semper pro benefactoribus exorando. Vesperini vero mentionem fecit Dorotheus, qui haec ait: Affirmauerunt Patres communi sententia, possidere eum timorem Dei, qui mortis crebro & gehennae reminiscitur, qui que vesperae seipso rationem exigit, quemadmodum die ambulauerit; mane similiter quo pacto noctem transegerit.] Nec frequentior, quam par est, aut nimia videatur, haec duplex in qualibet die conscientiae discussio, quia sancti, qui oculos mentis habent diuina luce perfusus, non bis in die, sed qualibet hora in seipsis, quod examinent, & corrigant; quod emendent, & reprehendant, inueniunt. Beatus certe Pater Noster Ignatius, vt auctor eius vitae testatur, singulis horis seipsum colligebat, & quid cogitasset, quid egisset, quid omisisset, examinabat. Quod documentum esse Petri Apostoli, scribit Clemens Papa in illis verbis: Instruebat, actus suae vitae omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere, & caetera. Et Cassianus appositissimo simili, quid sancti tam frequenter in seipsis emendent, exponit, cuius sententiam notatu dignissimam non grauabor in medium afferre. Ille sic ait: Velut si in aliquam magnam domum, multis instrumentis, vasculis, sarcinis impeditam, vnum integra visuum acie perspiciamus; alterum, cui oculorum lumen obtuderit lippitudo, pariter ponamus ingressos, nonne cum ille, cui ad videnda omnia hebes obstitit obtutus, nihil illic aliud esse aestimet, nisi armaria, lectos, scamna, praesepia, & quicquid non tam oculis speculantis, quam manibus palpantis occurrerit; & contra hic, qui clarissimo luminum sydere etiam occulta rimatus est, multa illic minutissima, & quae vix possint etiam numero comprehendi, inesse pronunciet, quae si aliquando in vnum cumulum congregentur, paucorum, quae ille palpauerat, magnitudinem numerositate compensent, aut etiam fortasse transcendant? Ita igitur sancti, atque vt ita dicam, ridentes, quibus summum perfectionis est studium, etiam illa, quod velut tenebrosus animi nostri non intuetur aspectus, in semetipsis sagaciter deprehendunt, acerrimeque condemnant, vsque adeo, vt qui, sicut nostra videtur incuriae, ne tenuis quidem peccati nauo candorem conscientiae fuscauerunt, multis sibi maculis videantur aspersi, si, non dicam vanae cogitationis improbitas, in atria mentis irreperit, sed vel psalmi, qui dicendus est, recordatio orationis tempore intentionem supplicantis auerterit.] Hae Cassianus. Cum ergo sancti viri tam magnam lucem diuinitus immisam habeant, & tam lynceis oculis suam imbecillitatem expendant, non mirum, si bis quotidie in se multa corrigenda peruideant. Quod si in caeteris rebus necessaria est haec frequens & exquisita discussio, quanto magis in ea, quam maiori diligentia, aut repellendam a nobis, si mala sit, aut si bona, suscipiendam arripimus? Certe pictor imaginem Christi, aut alicuius sancti in ta-

Bona. in
reg. no.
417.

Dorothei
doctrina.
4.

Clemens
epist. 1.

Cassian.
col. 25. c.
7.

bella delineans, millies eam inspicit, & nunc ex hac, nunc ex illa parte perlustrat: iam quadam expungit, iam quadam abradit, iam lineas aliter ducit, iam illustriouibus coloribus tingit, & vix tandem post multam & frequentem inspectionem, aliquid elaborat, quod suo desiderio satisfaciatur. Et nos cum particulari examine humilitatem, aut obedientiam, aut aliam quampiam virtutem addiscimus, eandem virtutem in tabella cordis nostri effigiare curamus. Quare multum erit, si saltem bis in die nostrum opus inspiciamus, & an bene an male succedat, examinemus.

Quis autem modus in hac discussione tenendus? Hunc quisque ex his, quæ nunc dicemus, intelligit. Nam primo, quoniam cognitio propria, donum Dei est, ille, qui seipsum examinat, gratiam à Deo humiliter petat, qua sciat conscientiam recessus executere, cogitationes, desideria, verba, & actiones expendere, & quod à se peccatum fuerit, agnoscere, & emendare. Hæc sanè cognitio magis ex humili oratione, qua aperiantur oculi nostri, quam ex longa aut subtili investigatione dependet. Vnde Gregorius, cum illud Iob: Mittebat ad filios suos, & sanctificabat illos: mysticè interpretatus esset, de discussione propriarum actionum, qua quis seipsum inspicit, ne bona aestimet, quæ mala sunt; aut ne bona sufficientia putet, si perfecta non sunt; hæc addit: Sed hos virtutum sensus, melius preces quam discussiones inueniunt; nam ea, quæ perferuari in nobismetipsis plenius nitimur, sæpe verius orando, quam inuestigando penetramus. Cum enim mens per quandam compunctionis machinam ad alta suscollitur, omne quod ei de seipsa occurrerit, sub seipsa diiudicando certius contempletur.] Hæc ille.

Postulata gratia, singulas diei horas ab ea qua è lecto surrexit, vel ab hora præcedentis examinis vsque ad horam præsentem, non minus breuiter, quam attentè percurtat; videaturque an propositum suum custodierit, defectumque vitauerit, necnon & virtutem exercuerit: an potius è contrà in aliquo à suo statuto defecerit, virtutisque actiones eliciendas omiserit. Si nullum defectum vel commissionis vel omissionis admiserit, id haudquaquam sibi tribuat, sed Deum illius doni auctorem agnoscat, pro eo ex animo gratias agat, & gratiam aliam ad perseverandum exposcat: Disce, inquit Bernardus, in referendo gratiam, non esse tardus aut segnis; disce ad singula dona gratias agere. Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet dona Dei debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci. Nunquid non perit, quod donatur ingrato?] Et si manè gratia fuit, à proposito non excidere, etiam gratia erit vesperti in eo perseverare. Humiliter ergo cuique de seipso sentiendum est, & quanto magis se custodierit, enixius gratia ab omnium conditore poscenda, qua possit in cæpto persistere. Si autem inspector sui in aliquo aduersum propositum, vel per commissionem, vel per omissionem se fecisse deprehenderit, de casu suo doleat, & de tanta imbecillitate, ac de non seruata fidelitate humiliter erubescat. Pudeat illum, quia tam citò à bona voluntate defecit, & multo magis, si non iam ex infirmitate, sed ex inuerecundia & oscitantia deliquit. Odio habeat defectum aut casum suum, licet leuem, quo se instabilem & Deo minus reuerentem demonstrauit. Mercator, qui aliquam opum suarum iacturam fecit, tanto magis tristatur

A] & dolet, quanto maior est illi habendi cupiditas. Si verò te perfectionis sollicitat desiderium, cur non ex hoc casu tristaberis, quo in culpam aliquam incurristi, Domino displicuisti, & profectus aliquem gradum, quem lucrari poteras, dilapidasti? Hæc culpa detestatio istæque dolor, non aliter quam lima quadam, nostra superflua terit, & sicut aqua munda nos abluir, & quasi collyrium, oculos mentis ad cognoscendos occultiores defectus, magis perspicaces reddit. Quod profectò Gregorius docet, & simul pulcherrimis verbis, quomodo quis seipsum repicendere & discutere debeat, exprimit. Scribens enim in illud Iob: Confabulabor cum amaritudine animæ meæ: sic ait: Pauore diuini iudicij afflictus, dum quadam malè gesta plangimus, ipsa vi nostræ amaritudinis ad discutendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam, quæ amplius defleamus, inuenimus. Nam sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit, & afflictæ mens certius inuenit malum, quod fecerat, & nesciebat, & cique tixa sua verius aperit, quantum à veritatis pace deuiatit, quæ reatum suum, cuius securi non meminit, tunc in se commota deprehendit. Succrescens quippe amaritudo penitentiam, verecundanti cordi importunè ingerit illicita, quæ commisit, dictum contra hæc iudicem ostendit, suppliciorum minas inuenit, pauore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis turbat, quæ ei conditor bona contulit, quæ ipse bonis illius mala respondit, enumerat, quod mirè ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantia in conditione ditatus est, quod conditoris gratia vocatus, quod sequi ipse & vocatus noluit, quod vocantis misericordia nec sordum hunc renitentemque despersit, quod illuminatus donis, quod sua sponte prauis actibus, etiam post dona, cæcatus est, quod à caritatis suæ erroribus paternæ sollicitudinis flagellis expiatus, quod à flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reductus est, quod quibusdam culpis, etiam non grauibus, subditus, peccare tamen, & inter flagella, non desinit, quod peccatorem suum superna gratia nec contempta dereliquit. Cum igitur afflictam mentem modo per replicationem donorum Dei, modo per improperia actionis suæ tanta seueritate increpat, habet in corde iustorum amaritudo animæ linguam suam, quæ tanto eis subtilius loquitur, quanto & interiorius auditur. Vnde & nequaquam dicitur: Fabulabor in amaritudine animæ meæ, sed confabulabor cum amaritudine animæ meæ, quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format, in quibus semetipsum correctus inueniat, & ad sui iam custodiam sollicitior exurgat.] Hactenus Gregorius. Et quidem dum ita nos Deo comparamus, & beneficia eius cum nostris culpis conferimus, illiusque erga nos curam, & beneuolentiam, nostramque erga illum obliuionem, & ingratitude nem recogitamus, vehemens dolor malè gestorum suscitatur, & homo rubore suffusus, salutari penitentia mordetur. Sic ergo amator perfectionis de admissis aduersus suum propositum doleat, sic seipsum increpet, & opprobriis ac contumeliis in seipsum assurgat, tempusque examinationi concessum, non tam in recordatione defectuum, qui facile de tam breui tempore, ac est à manè vsque ad meridiem, ad memoriam veniunt, quam in affectibus doloris & compunctionis impendat.

Post hanc negligentiam derestationem doloremque conceptum, veniam suorum delictorum humi-

Iob. 7. 10.
Gregor. 8.
mor. c. 11.

Iob. 7. 10.
Gregor. 8.
mor. c. 11.

Iob. 7. 10.
Gregor. 8.
mor. c. 11.

Ruth. 3. 4.

Ibid. n. 14.

Climac.
grad. 4. de
obediencia.

Iof. p. 5. f.

liter petat. Dicat Domino illud, quod Ruth dixit ad Booz: Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. Tu Domine, qui cum sis Deus meus, per assumptionem carnis, factus es propinquus meus, miserere afflictæ animæ meæ, quæ iam dolet & gemit, & flet, quia tuam benignitatem offendit. Dele per misericordiam tuam maculas eius, & quod per infirmitatem carnis, quam gestat, imprudenter admisit, clementer absterge. Dormiat ad pedes huius propinqui sui vsque ad noctis abscellum: Id est, in dolore, & gemitu, & oratione perseueret, quousque conscientiam pacatam, & ex visitatione Domini aliquantulum exhilaratam sentiat, & non ineptè de obtenta venia presumat. Post hanc orationem ac gemitum, propositum renouet, & vsque ad tempus sequentis examinis, culpa in hac speciali materia se vacaturum proponat. Vtilissimum erit ad vsum, quem statim dicemus, libellum paratum habere, in quo quisque defectus suos lineis aut numeris notet. Ad quod faciendum, & reuerenter suscipiendum, illius magni præceptoris vitæ spiritualis, scilicet Beati Patris nostri Ignatii, sufficiat auctoritas. Ipse enim senex, ac grandævus, & tantis donis à Deo cumulatus, tantæque sanctitate vestitus, hunc libellum, in quo suos defectus annotabat exiguos, virtutibus nostris puriores, moriens quasi in testamento reliquit. Ad cuius caput ab iis est, qui ei decumbenti assistebant, inuentus, ut viri spirituales discant, quanto fervore, quantæque cura sit animæ emendatio exquirenda, quanta simplicitate tractanda. Nec deest nobis in hac re minutula aliquod antiquitatis exemplum. Hæc enim apud Climacum legimus: Eum verò, qui parandæ fratribus refectioni præerat, cum curiosius inquirerem, hoc facere animaduerti. Ad cuius latus cum appensum cingulo breuem libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitationes suas in eo notare, hæcque omnes nuntiare pastori solitum. Non solum autem illum, sed & alios quàm plures id facere ibidem prospexi. Erat enim, ut comperi, patris sancti mandatum. Et infra ad finem eiusdem tractatus de obedientia, ad eundem morem alludens, ait: Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperè lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. Nam cum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur. Et hi quidem, defectus ac cogitationes suas in libello notabant, ut Prælato nuntiarent, nos verò non tam ut alteri renuntiemus, quàm ut nostri profectus (ad modum statim dicendum) aliquam rationem habeamus. Vfus autem huius libelli utilitatibus prædictis non caret, & nullius incommodi prætextu potest omitti. Nam in eo spirituales viri, quorum est hoc examine seipso expolire, non nisi minimos defectus exarant, quia Dei beneficio maioribus carent, & si maiores exararent, non eos litteris, sed lineis aut numeris notant, unde si libellus excideret, & in manus maleuoli cuiuspiam veniret, nihil prorsus de vita alterius posset intelligere, nisi quod est spiritualis vir, suæ conscientie exquisitam curam habens, cuius defectus ac negligentias leues, in eo libello ad fletum & emendationem earum notare sit solitus. In quo nullam maleuolus inueniet materiam ridendi, sed de sua oscitantia erubescendi, qui maiora peccata non solum non notat, sed nec condigna pœnitentia diluere curat.

Hoc autem particulare examen & illud generale, de quo postea dicemus, est spirituale capitulum, siue locus correctionis, in quo melius & efficacius viriu-

flus corrigitur. Illud capitulum est rarius, istud frequentius: in illo interdum accusator ex odio aut passione ad accusandum fratrem incitatur; in isto conscientia accusatrix semper ex Dei amore, & perfectionis desiderio ad accusandum mouetur. In illo ex parte accusati solet interuenire iusta, aut iniusta excusatio; in isto solum humilis & deuota confessio. In illo præses aliquando ira aut indiscreto zelo feruet; in isto Christus, apud quem rei stentes procumbimus, nunquam per aliquam vel minimam notam indignationis excedit. In illo corriguntur defectus publici, in isto occultissimi, & nulli, nisi Deo, & homini, qui admittit, cogniti, emendantur, atque delentur. Illud tandem congregationes religiosæ teneant, apud quas eius viget vltis vtilis, & bonæ gubernationi conueniens; istud autem spiritualis vir intra seipsum toto corde suscipiat. Quod profectò si ab omnibus religiosis bene, ut par est, fiat, illud exterius cum magna pace transigetur, & satis pauca & leuia inueniet, quæ corrigat. Qui præest huic spirituali capitulo, Christus est, ad cuius pedes compuncti humilisque proouolumur, ut veniam de nostris negligentis impetremus. Cuius benignitatem & lenitatem semel experti, dicimus præ desiderio emendandi ab eo illud Davidis: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinget caput meum. Malumus enim ab hoc iusto & Sancto sanctorum corripì, quàm ab adulatoribus & his, qui minimè nos intus & in cute cognoscunt, delinunt. Accusator non est frater, qui fortassis nos non amat, aut non multum amat, sed propria conscientia, quæ ut seipsam, nos diligit, & nostram increpationem non minus quàm suam audire recusat. Quæ cum nos probè cognoscat, eius accusationi optime congruit illud Salomonis: Melius est à sapiente corripì, quàm a stultorum adulatione decipi. Quid enim referet, si nos amici exterius defendant, si propria conscientia, quæ opera, & cogitationes, & intentiones nouit, aliquid horum interius accuset: Adstantes non sunt homines, qui aliquando rident, aliquando despiciunt, aliquando indignantur, sed Angeli, qui pro nobis orant, & nostri compatiuntur, & miserentur. Illi interdum ita nos vrgent, ut è cœtu illorum egressi, quasi ab aliquo periculo liberati dicamus cum Ecclesiastico ad Dominum: Et in conspectu altantiù factus es mihi adiutor. Nam ita stabant, ut contra starent, & improprietij verbis impeterent. Isti nos defendunt, & protegunt, ad eò ut iusto, sacrificium spiritus contribulati pro suis erratis immolanti, conuenire possit illud eiusdem Ecclesiastici: Et circa illum corona fratrum, (id est, sanctorum Angelorum, qui licet dignitate & naturæ excellentia sint patres; at affectu amoris sunt fratres,) quasi plantatio cedri in monte Libani, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria sua. Hi, inquam, Angeli, qui viro iusto se accusanti inuisibiliter assistunt, non despiciunt illum, nec irident, sed sicut cedri, arbores fortes & proceræ protegunt, & quasi palmæ signa victoriæ ad victoriam de seipso reportandam accedunt. Locus tandem huius spiritualis capituli est proprium cor, in quo sicut in arca testamenti Dominus virgam, & legis tabulas, & vas manne recondit, id est, seueritatem ad corrigendum signatam in virga, & discretionem ad discernendum adumbratam in tabulis, & dulcedinem ex spe veniæ obtinendæ significatam, in illo pane cœli conficitur. In hoc igitur spirituali capitulo nos bis in die corrigamus, & citò spiritu proficiemus.

Psal. 140.

5.

Ecl. 6. 7.

Ecl. 5. 1. 1.

Ecl. 50.

13. 14.

De

De Postrema parte particularis examinis, nimirum de Collatione.

CAPVT XII.

OSTREMAM Partem huius particularis examinis, Collationem nominamus; diximusq; eam in hoc consistere, ut quis defectus in secunda sui discussione repositos cum defectibus prima discussionis conferat, & culpas vnus diei, culpis diei præcedentis comparet, & vnam hebdomadam respectu alterius, quæ præcessit, inspiciat, ut an emendetur, & spiritu proficiat, an non emendetur, & sic deficiat, (quia non progredi in via spiritus, regredi est,) planè cognoscat. Hæc collatio non est nouum inuentum: nam illam expressis verbis docet Bernardus in speculo monachorum, sic scribens:

Comparanda est dies instans diei præterita, ut ex eorum collatione suum deprehendere possit monachus vel profectum vel defectum. Et alio loco ait: Integritatis tuæ curiosus explorator vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias, qualis sis in moribus, & qualis in affectibus, quam similis sis Deo, Redemptori & Saluatori nostro, vel quam dissimilis, quam propè, vel quam longè, non locorum interualis, sed morum affectibus. Eandem præscribit Dorotheus in hunc modum: Discat vnusquisque vbi sit, aut in quo libro scriptus. Debemus enim non solum nos per dies singulos discutere, sed per quælibet tempora, per menses, per hebdomadas: ac nobis ipsi dicere: Prima hebdomada huiuscemodi passionis affectus es; nunc quomodo habes? Item per tempus quodque anno transacto victus es, & superatus ab hac passione, nunc quomodo habes? Et ita per quælibet diligenter inspicere, si quid à nobis abscondimus ex illis, an in eisdem volumur, vel in deteriora delapsi sumus. Basilius tandem eiusdem collationis non est oblitus: sic enim ait: Quæ singulis diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora, & cum iis quæ feceris pridie, conferto; studio sequè operam dato, ut melior in dies magis ac magis exiltas. Hæc illi.

Multiplex autem est huius collationis vtilitas. Vna est illa, quam dixit Dorotheus, ut cognoscat homo, vbi sit, & in quo libro sit scriptus. Nam si hac hebdomada nihil omnino profecit, & eundem culparum numerum in illo vitio, quod emendare vult, atque in hebdomada præcedenti commisit, scriptus erit in libro tepidorum, qui tota die ociosi manent, & nihil omnino in suæ animæ vinea laborant, cum tamè sint ad laborandum conducti. Horum increpatione continetur illis verbis Ieremias: Fertilis est Moab ab adulescentia sua, & requieuit in fecibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit; ciccirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Moab interpretatur de patre, & signat illum, qui imitatur primum parentem carnis suæ: sicut iste præceptum à Domino ei impostum; ita & ipse promissum, aut propositum Domini gratia factum transgreditur. Hic fertilis est, id est, diues ab adulescentia sua, quia ipso tepore mentis & segnitie spiritus, qua laborare, & aliquid lucrari non curat, videtur de seipso sentire, quod ille Episcopus Laodiceæ, cuius hæc erat vox: Diues sum, & locupletatus, & nullius ego. Huius manifestum indicium est, quia requiescit in imperfectionibus suis. Nam si se non diuitem meritorum putaret, sed pauperem, & egenum,

A atque imperfectum aduerteret, niteretur vtiq; penuriam virtutum per imperfectionum abiectiōnem deponere. Semper hæret in eodem luto, & à misera imperfectionum seruitute ad aliquam suorum morum non trahit emendationem. Quare sicut multū, quod non transfunditur de vase in vas, eundem semper gustum & odorem tenet: ita & tepido, vitam & cōversationem non mutari in melius, eadem culpæ & imperfectiones adherent. Si autem seipsum examinās, & vnū tempus cum alio cōferens, in sequenti die, vbi gratia, vel in sequenti hebdomada, non iā eundem numerum culparum atque in præcedenti, sed maiorem inueniat, erit scriptus in libro stultorum, & suam substantiam dilapidantium: nam cum aliquid profecisse, aut saltem quod iam habebat seruasse debuisset, nec profecit, nec stetit, sed in peius est lapsus, & infeliciter factus est seipso deterior. Et erit ex illis, quibus in Apocalypsi dictum est: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Quis enim ambigat, illū qui quotidie magis deficit, & plus delinquit in inferendo sibi maiori nocumēto, atque in sordibus aggregandis perlitere? Terribilis est autem ista Domini comminatio, ut sicut ludimagistri solent dicere pueris confabulantibus aut ociose sedentibus: Nolite legere, nolite scribere, ut ipsi flagellum timentes legant, & scribant: ita Dominus torpentibus dicit, quemadmodū meditatus est Ambrosius: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: Quia ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vtiq; secundum opera sua.

B Nam sicut in me ipso habeo, quo iustus fatigat, & beatos faciam, ita alterius manu non indigeo, ut amplius nocentes, & sordentes condignis penis afficiam. At si iustus hanc collationem suæ vitæ faciens, se emendatum videat, & aut omnino non cecidisse, aut minus cecidisse reperiatur, scriptus erit in libro tendentium in caelum, quia eo magis ad vitam accedit, quo magis à culpa & à morte discedit. Tunc annumerabitur exercitui Domini, qui post longam captiuitatem, [eadē die,] quæ dies est fetuoris & gratiæ, [egressus est de terra Egypti.] Mores enim emendare, & aliquid perfectionis cōsequi, quasi ex Egypto egredi est, & à pluribus culpis ad pauciores transire, est in virtute proficere. Nam profectus noster in hoc consistit, inquit Bernardus, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius, ut imperfectum nostrum diuinæ misericordiæ obrutibus iugiter exponamus.

C Altera est vtilitas, si forte altera dici potest, illa, quam tetigit superiori loco idem Bernardus, quia ex hac collatione vnus diei cum alio, vel vnus longioris temporis cum alio, iustus vir suum profectum aut defectum intelligit. Augmentum enim animæ, siue spiritualis eius profectus, licet in seipso inuisibilis sit, sicut & ipsa anima, tamen ex affectibus potest agnosci. Et sicut boni & mali ex operibus cognoscuntur, iuxta illud: A fructibus eorum cognoscetis eos; ita ex eisdem operibus, bonitas aut nequitia intus latens deprehenditur. Eadem autem est via profectus interni ac defectus agnoscendi, ut ille dicatur proficere, qui sollicitius culpas, & negligentias vitæ illæ verò deficere, qui tepidius & negligentius se per aliquam culpam deformat. Atque adeo, qui facta duarum dierum, aut hebdomadarū collatione, minus in sequenti tempore in illud vitium, quod impugnat, lapsus est, aut sollicitius in virtutem, quam seclatur, incubuit, absque dubio profecit: qui verò turpius aut frequentius in vitium impigit, aut tardius vel negligentius virtuti studuit, sine vlla excusatione

D

Bern. in speculo monachorum. In meditationibus. c. 5.

Dorothei. doct. 10. ad finem.

Basili. ser. de abdicat. verū. ad finem.

Ierem. 48. 11.

Apoc. 3. 17.

Apoc. 2. 17.

Amb. ibid. n. 12.

Exod. 12. 41.

Bern. ser. 3. de Euficant.



defecit. Et similiter qui in eodem statu se inuenit, torpentibus ac deficientibus est annuerandus; quia non dissimulandus defectus est, quo tempore quis ambulare in via spiritus debuisset, nec vnum passum ambulasse.

Ex hac autem cognitione triplicem anima elicit affectum sanè vtilissimum. Vel enim ex collatione duorum temporum intelligit se defecisse, aut parum aliquid profecisse, aut plusquam mediocriter ambulasse. Si defecit, tristatur, & tristatur ad salutem, ea tristitia, quæ secundùm Deum est. Luget, & queritur, quia tempus ad salutem animæ sibi concessum turpiter & imprudenter amisit. Luget, quia viator cum sit, nihil viæ sibi ambulandum confecit: luget, quia ne cogatur per mortem cessare, priusquam virtutem acquirat, pertimescit. Seipsum ad proficiendum vrget illa admirabili exhortatione Ambrosij, qui sic ait: In via es, o homo, ambula, vt peruenias; ne & nox in via te occupet, ne consumatur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres. Viator es vitæ huius, omnia transeunt, omnia post te fiunt. Omnia in haec vita cernis, & trās. Vidisti amoenitatem arborum, viriditatem herbarum, puritatem fontium, & quodcumque huiusmodi, quo delectantur oculi. Inuit spectare, delectauit parumper attendere. Dum attendis, pertransisti. Iterum dum ambulas, incidisti scopulosum & confragosum iter, concaua rupium, prærupta montium, densa syluarum. Tædiasti parum, iterum transisti. Talis hæc vita est, cuius nec prospera permanent, nec aduersa diuturna sunt. Ergo quasi in via locarum, neque secunda extollant, neque aduersa frangant, nec plausibilia remorentur, nec mœsta detineant. Festina semper ad finem, festina vt peruenias.] Si autem se examinans profecit, sed parum profecit, seipsum increpat, & reprehendit, quia tam lentis passibus nunquam ad finem virtutis alicuius peruenit. Audit iustus quasi Angelum Domini, sanctam inspirationem dicentem sibi: Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.] Surge, inquam, per assumptionem noui feruoris, comede, & nouis considerationibus asferuentibus desideris, quasi nouis cibus, teipsum ad velocius ambulandum corrobora, quoniam tanta lentitudine ambulans, in via spiritus, quæ satis longa est: parum aut ferè nihil procedes. Si tandem ex collatione diuersorum temporum quis deprehendat se non mediocrem progressum fecisse, Deum sibi adesse adiutorem intelligit, illi pro accepto tantæ emendationis beneficio gratias agit, & seipsum ad maiorem profectum acquirendum accendit. Experitur sanè viam perfectionis non esse difficilem, quia si tam paucis diebus tantam in se mutationem aduertit, tantum se vicit, quid, si perseueret, nisi magnos in virtute ac omni puritate progressus speret? Ita quidem apud se cogitat: At nunc non vident lucem: subito aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas. Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosâ laudatio.] Id est; Paulo antè in caligine & obscuritate versabar, cum huius imperfectionis nubes me opprimebat, in tantum vt serenitatem mentis pene accipere desperarem. Nunc autem spiritu diuino afflante, nubes ita breui tempore disiecta est, & ab Aquilone, nempe à mortificationis frigore, quo me ipsum compressi, subito instar auri splendens serenitas venit; & tam insperata tranquillitas mentem meam lætificauit. Quid fiet, si in feruore & emendationis cura persisto, nisi quod breui tempore portum concupitæ virtutis ingrediar? Tunc non sine ingenti

Ambr. in Psal. 1. versu. 1.

3. Reg. 19. 7.

Job. 37. 21. 22.

A) reuerentia & tremore, Deo laudes concinam, qui tam mirabilia in me operatus est, & de eo in dies sublimiora dona confidam. Benedictio quidem Domini in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.] Quod si me ipsum ad capellendam virtutem animauero, non tardabit Deus quàm celeriter eam ad mentem demittere, & me, qua cupio, possessione ditare.

Ecce ergo plurimas huius collationis vtilitates. Prima, quod illius præsidio qualis apud Dominum sis, non ineprè coniectas. Secunda, quod tuæ mentis statum agnoscis. Tertia, quod si non proficias, tristatis ad salutem, & erubescis. Quarta, quod si parum proficias, temetipsum reprehendis. Quinta, quod si non mediocrem in te emendationem adueras, ea fiducia, quæ Deo subnititur, de perfectionis adeptione confidis. Vt verò hæc omnes vtilitates suum complementum habeant, duo tibi facienda sunt. Alterum est, vt si ex vsu huius præstantissimi instrumenti profectum non sentias, huius rei causas initiâque disquiras: patri spirituali teipsum aperias, rationem procedendi cum eo conferas, causas à te repertas huius tepiditatis edicas, ac ordinem ab illo præscriptum inuolabiler teneas. Sæpe enim fructus huius exercitij differitur, vt homo se humiliet, & quod per seipsum non adipiscitur, directione alterius hominis, nempe magistri spiritualis, acquirat. Principium disciplinæ humilitas est, inquit Hugo; & nihil addiscit inflata superbia, qua quis vult sine alterius hominis adiutorio ad virtutis fastigium euolare. Qui altam facit domum suam, querit ruinam, & qui euitat discere, incidit in mala.] Non omnes, qui altas ædificant domos, ruinam querunt, sed illi, qui sine firmo fundamento, & sine debita coniunctione lapidum, magnam molem conantur extruere. Sic qui sine humilitate, qua se magistro spirituali docenti subiiciant, volunt altissimam perfectionem adipisci, solent non minimos casus experiri. Alterum documentum est, vt si ex prædicto vsu particularis examinis, iuxta desiderium tuum, magnum percipias fructum, causas etiam huius profectus adueras, & rationem, qua processisti, consideres, vt in posterum eandem obserues. Nam eandem causam eosdem parturiunt effectus, & si hodie hunc modum viuendi tenens, aliquid boni lucratus es, ab eo cras non discedens, simile quid sine dubio lucraberis. Hæc autem est magna prudentiæ pars, qua homo ex præteritis futura æstimat, & ex bonis, quæ iam quasi manu tetigit, ad alia similia acquirenda se munit.

Ecc. 11. 24.

Hugo. in lib. 1. de disciplina.

Prov. 27. 16.

B) C) D) E) reuerentia & tremore, Deo laudes concinam, qui tam mirabilia in me operatus est, & de eo in dies sublimiora dona confidam. Benedictio quidem Domini in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.] Quod si me ipsum ad capellendam virtutem animauero, non tardabit Deus quàm celeriter eam ad mentem demittere, & me, qua cupio, possessione ditare. Ecce ergo plurimas huius collationis vtilitates. Prima, quod illius præsidio qualis apud Dominum sis, non ineprè coniectas. Secunda, quod tuæ mentis statum agnoscis. Tertia, quod si non proficias, tristatis ad salutem, & erubescis. Quarta, quod si parum proficias, temetipsum reprehendis. Quinta, quod si non mediocrem in te emendationem adueras, ea fiducia, quæ Deo subnititur, de perfectionis adeptione confidis. Vt verò hæc omnes vtilitates suum complementum habeant, duo tibi facienda sunt. Alterum est, vt si ex vsu huius præstantissimi instrumenti profectum non sentias, huius rei causas initiâque disquiras: patri spirituali teipsum aperias, rationem procedendi cum eo conferas, causas à te repertas huius tepiditatis edicas, ac ordinem ab illo præscriptum inuolabiler teneas. Sæpe enim fructus huius exercitij differitur, vt homo se humiliet, & quod per seipsum non adipiscitur, directione alterius hominis, nempe magistri spiritualis, acquirat. Principium disciplinæ humilitas est, inquit Hugo; & nihil addiscit inflata superbia, qua quis vult sine alterius hominis adiutorio ad virtutis fastigium euolare. Qui altam facit domum suam, querit ruinam, & qui euitat discere, incidit in mala.] Non omnes, qui altas ædificant domos, ruinam querunt, sed illi, qui sine firmo fundamento, & sine debita coniunctione lapidum, magnam molem conantur extruere. Sic qui sine humilitate, qua se magistro spirituali docenti subiiciant, volunt altissimam perfectionem adipisci, solent non minimos casus experiri. Alterum documentum est, vt si ex prædicto vsu particularis examinis, iuxta desiderium tuum, magnum percipias fructum, causas etiam huius profectus adueras, & rationem, qua processisti, consideres, vt in posterum eandem obserues. Nam eandem causam eosdem parturiunt effectus, & si hodie hunc modum viuendi tenens, aliquid boni lucratus es, ab eo cras non discedens, simile quid sine dubio lucraberis. Hæc autem est magna prudentiæ pars, qua homo ex præteritis futura æstimat, & ex bonis, quæ iam quasi manu tetigit, ad alia similia acquirenda se munit.

De quibus fieri debeat particulare examen.

CAPVT XIII.

MATERIA Circa quam examen particulare versari debeat, ex supra dictis satis perspicua est; quia omne vitium, omnis defectus, omnis passio, aut sensum, aut vitium animæ immortificatione, & omnis virtus eius materia est. Diuerso tamen modo hæc in examen cadunt: mala enim examini subdantur, vt euellantur; passiones, & sensus, & vires animæ, vt ab eis, quod vitiosum est, eradicetur: virtutes, vt de nouo acquirantur, aut iam acquisitæ ad debitum perueniant augmentum. Quod ex parte significatum est in illo ministerio dato à Domino, Ieremæ: Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, &

Ierem. 1. 10.

dissoles,

Ecl. 3. 2.

dissipes, & arbores, & plantas.] Quod enim prædicatori verbi Dei, idem audientibus doctrinam celestem iniungitur, ut in initium non sine ordine in destructionem malorum, & bonorum plantationem incumbant. Nam est tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est. Et est tempus occidendi, & tempus sanandi, & tempus destruendi, & tempus ædificandi.] Nec parum interest, cuique temporis suum opus assignare, & nequaquam quæ tempora distincta poscunt, sine vlla distinctione confundere. Hæc quidem pro assignatione materiae sufficerent, nisi desiderium satisfaciendi rerum spiritualium minus peritis, nos cogeret ad magis particularia descendere. Aliqua ergo consideranda sunt, quæ prudenti electioni materiae examinanda deferuerint.

Illud autem primum sit & præcipuum: vt quique sibi persuadeat, quod in corde suo aliquod vitium principale regnat, quod velut rex est aliorum vitiorum, & origo omnium suorum defectuum, & vniuersa cæcitate mentis & tepiditatis initium. In quibusdam superbia, in aliis inanis gloria, in aliis ita principatum obtinet: in aliis aut propria voluntas, aut iudicij proteruitas, aut desiderium seipsos regendi dominatur: in aliis amor propriorum commodorum, aut gula, aut impugnatio carnis, aut aliud simile vitium imperitat. Aduersus ergo hunc regem aliorum vitiorum, & antesignanum spiritualium malorum, ante omnia armis particularis examinis pugnandum est, & pro contraria virtute strenuè laborandum, donec quies emendationis adueniat. Ciuitas Hierosolyma ex vna parte, qua hostium incurfioni facilius patebat, muro fortissimo cingebatur, quem propterea Eldras vocauit murum latissimum. Sic vera Hierosolyma, nempe fidelis anima, ex ea parte, qua per aliquod vitium robustius imbecillior est, hoc examine, tanquam fortissimo muro latissimoque, se cingat, donec in se optatam emendationem sentiat. Hæc autem emendatio in hoc posita censetur, vt amator virtutis vitium illud omnino destruat, vel saltem ad eum eruet, atque confringat, vt adhuc ad plenam victoriam illius conueniens, existimetur aliud vitium cognatum oppugnare, & ad studium alterius virtutis transire. Qui hoc principali vitio dissimulato, alia per particulare examen impugnat, similis erit illi, qui ramusculum cædit, & radicem arboris satis in terra radicatam relinquit. Vel certe comparabitur Sauli, qui contra præceptum Domini pepercit Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arctibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quicquid verò vile fuit & reprobum, demoliti sunt. Sic parit præcipuo vitio suo, & his, quæ magis diligit, & amplius eum in extremam indigentiam coniungunt: & quæ parum officiant, & fortè dissimulari possent, magna diligentia disperdit. Rex Syriæ pugnaturus contra populum Dei, dixit ad suos: Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam, nisi contra regem Israhel solùm:] prudenter aduertens, victo rege aduersario, omnes alios hostes suos fugæ se duros. Salutem ex inimicis accipiamus, huncque regem imitemur. Non sit nobis cura, nisi pugnare contra ducem imperfectionum nostrarum, & contra illud vitium, quod nos magis infestat; & oppositam virtutem acquirere; nam hoc vitio prostrato, facilis erit de minoribus hostibus desiderata victoria.

Si qui verò à nullo speciali vitio acerrimè impu-

A gnari se sentiunt, sed multis imperfectionibus & vitis, quorum nullum nimis immoderatè supra alia se erigit, propriam mentem subiectam aspiciunt, quali spiritualis vitæ methodum obseruantes, vt ad maiora procedant, in particulari examine, à minoribus & ordine prioribus hanc pugnam incipient. Tres esse spiritualium virorum status, sæpe iam diximus, quidam enim sunt incipientes, quidam proficentes, quidam pro huius vitæ possibilitate perfecti. Incipientes ergo, primò particularem curam, seu particulare examen ad præambula vitæ spiritualis, nempe ad modestiam & silentium, applicent, & motus sui corporis linguamque componant. Deinde ea, quæ sunt propria incipientium, præsidio eiusdem examinis discant. Applicent illud primo loco post duo dicta præambula ad hoc, vt nullum veniale peccatum ex professo & cum plena aduertentia faciant. Deinde vt singulos sensus, præsertim vt visum & auditum comprimant. Postea vt singulas passiones cohibeant, & post illas, vt cogitationi modum imponant, & si quid aliud mortificandum occurrerit, non prætermittant. His per examen emendatis, ex incipientibus proficentes fiunt; & tunc propria proficientium ad examen vocent. Hæc autem sunt, vt per huiusmodi examen discant, singulas actiones actuali intentione ad Deum dirigere, vt assuescant regulas seu statuta proprii status diligenter obseruare; vt præcipuas virtutes & magis ad vitam spiritualem necessarias, quales sunt humilitas, paupertas, castitas, obedientia, mansuetudo, patientia, abstinentia, & alias similes, vnam post aliam, conentur acquirere. Quibus mediocriter saltem obrentis, iam ab statu proficientium ad dignitatem perfectorum accedunt, ad quos pertinet, particulari examine suas actiones expolire, & pulcherrimè singulas præstare: item ad perfectionem fraternæ charitatis, & amoris Dei, & ad continuam eius præsentiam anhelare, & minimos quosque defectus abstergere. Sic paulatim vitam spiritualem addiscendam esse, ac ex minoribus ad maiora progrediendum, manifestè docet Basilius, interpretans illud Psalmi: Sed in lege Domini voluntas eius;] vbi sic ait: Sapienter itaque, & solerti consilio ad nos virtutem introducere cupiens, fugam vitiorum, initium fecit bonorum. Si enim statim ea quæ sunt perfecta, tibi proposuisset, ad ea fortè obeunda fuisses cunctator. Nunc verò ad faciliora captu te assuescit, vt ad ea, quæ sequuntur, animo sis præsentiore. Ego quippe pietatis exercitationem, scilicet, à Iacob visæ, rectè comparauerim, cuius pars terram attingebat, pars altera ipsi supereminens in cælum vsque porrigebatur. Ex quo eos admonere opus est, qui ad virtutem instituuntur, primum, vt primis admoveant gradibus vestigium, & inde paulatim ascendendo, progrediendoque ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem, sensim ac paulatim promouentes perueniant. His consentientia scribit Gregorius, explicans illum locum Danielis: Audiui vocem verborum eius, & audiens iacebam conseruatus super faciem meam.] Vbi sic ait: Verba Dei in terra iacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni coniuncti, sanctorum voce spiritualia præcepta cognoscimus. Ad quæ præcepta quasi super genua, & super manuum nostrarum articulos erigimur, quia à terrenis contagis recedentes, quasi iam ab infimis ventrem leuamus. Sic vt enim totus terræ inhaeret, qui conseruatus iacet; ita qui in genibus, & manuum suarum

2. Esdræ. 12. 37.

1. Reg. 15. 9.

3. Reg. 12. 11.

Basil. h. ad psal. 1.

Dan. 10. 9. Greg. 12. mor. c. 14.



articulis incuruatur, inchoante profectu, ex magna iam parte à terra suspenditur. Ad extremum verò voce Dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum à terrenis desideriis perfecte subleuati, verba Dei, quo plenius cognoscimus, plus timemus. Adhuc enim quasi in terra iacet, qui ad cœlestia erigi terrenorum desideriis negligit. Quasi subleuatus autem adhuc manibus & genibus incumbit, qui quædam iam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit. Iam verò ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad sublimia erigit, & per immunda desideria incuruari contemnit. Bene autem trementem se stetit iudicat, quia examen subtilitatis internæ, quo plus ad illud perfcitur, amplius formidatur. Vbi aptè diuina voce subiungitur: Noli metueret; quia cum plus ipsi, quod timeamus, agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur, quod amemus: quatenus contemptus noster paulisper transeat in timorem, & timor transeat in charitatem, vt quia quærenti nos Deo per contemptum relictimus, per timorem fugimus, & contemptu quandoque, & timore postposito, solo ei amore iungamur. Paulisper enim etiam timorem eius discimus, cuius solius dilectioni inhaeremus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus profectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, & postmodum per charitatem ad alta amore leuamus, vt ab eo quo quisque timet, reprimatur, vt timeat; & ab eo, quod iam metuit, subleuetur, vt præsumat.] Hactenus Gregorius. Sic itaque rationabile obsequium nostrum, id est, humanis viribus commensuratum: & quia simul ad multa capienda non valemus; vnum post aliud, vitæ spiritali studendo, discamus. Quia & gratia etiam, quæ naturæ præsidio est, ita illam adiuuat, vt modum eius, ac se expoliendi rationem non excludat.

Nec solum vnum vitium post aliud, & vnam virtutem post aliam, debemus in examen adducere, sed etiam in vnoquoque vitio ad vnum excessum eius, & in quaque virtute ad vnum actum eius, seorsum examen apponere. Vnum enim vitium & vna virtus, vasta res est, & in multas actiones externas, internasque diuisa, & non ita perfecte cura nostra particularis, aut tot mala, quæ sub vno vitio comprehenduntur, destruet, aut tot bona, quæ sub vna virtute continentur, acquirat. Et certè iam cura particularis quasi in generalem transiet, si non ad vnum speciale, sed ad plures se actiones extendit. Quomodo autem res examini subiectæ, sint per partes diuidendæ, vt paulatim, si malæ sint, emendentur, si mediæ, moderentur, & si bonæ, acquirantur; ex suprâ dictis satis potest esse perspectum. Ideo enim suprâ, libro primo huius voluminis tam exquisitè & minutatim cuiusque vitij excessus expressimus; & libro secundo sensuum, & passionum, & linguæ, & aliarum virium animæ defectus exposuimus; & hoc libro tertio singulas virtutum actiones declarauimus, vt ex his partes cuiuscumque vitij dissipandi, & cuiusque virtutis assequendæ disceremus. Inde igitur materia examinis petenda est, & si quis velit, exempli gratia, superbiam vincere, quæ de gradibus, vel actionibus superbiæ dicta sunt, legat, & per aliquot dies, vel hebdomadas vnum actum, &

A] postea similiter per totidem, aut plures, aut pauciores dies, prout opus fuerit, alium, & sic deinceps alios, quasi noxios malæ arboris ramos euellat. Si velit suos oculos cohibere, quæ de mortificatione visus diximus, euoluat, & similiter faciat. Si velit humilitatem discere, actiones iam expositas humilitatis percurrat, & eundem ordinem teneat. Pictores quidem ex tabula, quam formare volunt, nunc vnam maculam, nunc aliam radunt; nunc vnam lineam, nunc aliam secundum artis præscriptum ducunt; nunc vnum colorem, nunc alium infundunt. Sic spiritualis vir, qui in proprio corde imaginem Christi depingit; nunc ab eo vnum vitium paulatim auferat, nunc vnam passionem secundum suas partes moderetur, nunc vnam virtutem acquirat. Chrysofomus profectò huius documentum assertor est. Sic enim quodam loco scribit: Aggrediamur virtutem cum tempus habemus, distribuamus virtutes nobis, sicut sibi distribuunt agriculturam agricolæ: in hoc mense vincamus detractiones, iniurias, iracundias, iniustitias, & dicamus: Hodie ab hoc nos vitio cortigamus, in illo autem mense patientiam nos ipsos doceamus, & in alio aliam virtutem: & cum hanc virtutem in habitu perceperimus, ad aliam transeamus, sicut solent discipuli, qui, quæ acquisierunt, custodiunt, quæ verò necdum didicerunt, discendo acquirunt. Discamus etiam nos post istam virtutem, & veniamus ad contemptum pecuniarum. Ac primò abstrahamus manus à cupiditate ampliora habendi, & tuæ faciamus elemosynam. Non omnia passim confundamus, & eisdem manibus & rapiamus, & eisdem iterum misereamur. Post hanc etiam virtutem ad aliam transeamus, & ab illa ad aliam.] Hæc igitur est huius octauæ instrumenti natura, ad vitia extirpanda & virtutes inferendas, quo qui diligenter & perseveranter vsus fuerit, aspirante Dei gratia in vita spiritali magnos breui tempore progressus faciet, & ingentes thesauros virtutum comparabit. Nam vnum cum sit, quasi omnia alia instrumenta mouet, & nullum otiosum præmittit. Hoc est quasi stimulus, qui intellectum ad considerandum excitat, & voluntatem ad volendum inflammat, manûsque ad operationem dissoluit, vt omnia, quæ in nobis sunt, virtutis disciplinæ seruiant, & eam in domum mentis introducant. Hoc est velut pædagogus, qui animum, dum viuimus, pusillum docet, & regit, de bonis laudat, & de malis seuerè reprehendit. Quo pædagogo destituti non minùs quàm pueri indiscretè procedimus, & nihil, quod nos in virtute promoueat, ad discimus. Hoc denique velut nubes, quæ paulatim pluuiam stillans, terram penetrat, atque fecundat. Sic profus hæc particularis cura, aut particulare examen, quasi salutari pluuiâ omnium virtutum grauidum, non simul omnes virtutes emittit: sic enim animum nostrum non aliter quàm eluione consumeret; sed guttatim bonum pluens, & doctrinam virtutis infundens, eum feracem multorum meritorum reddit, & vt adiutorium virtutis efficacissimum ad magnam mentis puritatem perducit. Quam vnam aliquando tandem ad Deigloriam, & animæ nostræ salutem, & Ecclesiæ sanctæ profectum acquiramus. Amen.